HIPPOCRATIS COI MEDICORVM FACILE PRINCIPIS DE NATVRA HVMANA LIBEL-

lus Medicinæ candidatis multò utilissimus, unà cum Claudij Galeni Commentario, Hermanno Cruſerio Campenſi interprete



μήτ' ἐμοὶ μέλι, μήτε μέλιττα.



Nocet empta dolôre uoluptas.

PARISIIS EX OFFICINA GERARDI MORRHII CAMPENSIS APVD COLLEGIVM SORBONAE

M. D. XXXI.

Cum priuilegio ad biennium.



GERARDI MORRHII,

Iambicum trimetrum.

HERMANNE *dulce decus meum & charum caput,*
Meritas tibi impensi laboris gratias
Medentium schola & iuuentus candida
Pæonis ac Aesculapij artis æmula
Habet: quòd & tu quoq; capeßis inclytum hoc
Certamen, ac probatum utroq; pollice
Omnibus, & utile admodum mortalibus,
Quo quisq; linguam utramq; gnarus approbè
Pro uiribus suis latinum reddere
Studet GALENVM, *lumen artis splendidum*
Medicæ, ac uelut clarum iubar: quod hactenus
Delituit, & neglectum inertia diu
Iacuit sopitum, maximo per Herculem
Incommodo damnoq; ubiuis gentium
His qui subire adyta intima, & medullitus,
Propiusq; perspicere expetunt medentium.
Optamus ergo omneis senectam Nestoris
Tibi, ut diu multisq; iam Decembribus.
Quod parturis, parias, apertis scrinijs
Quibus farinæ huiusce plurima obtines
Quæ nondum adhuc uidêre Solis candidum
Lumen: sed abdita horrido iacent situ, &
Squallôre muscido: exhibentq; pabulum
Tineis teredinibusq;, & exosis diem
Blattis. age ergo, & te tibi recolligens
Paulisper, applica tuos sagaciter
Fœtus Aristophanis lucernæ, ac omine
Fausto fac edas: sic tuæ familiæ,
Patriæq; perpetuam parabis gloriam.

CLARO AC POTENTI DOMINO: D. GVLIELMO A MOMMERANSI, PRIMO BARONI FRANCIAE, HERMANNVS CRVSERIVS CAMPENSIS. S. P. D.



Vanquàm tua amplitudo clarissime Baro, quæ maxima est, tuaq́ꝫ auctoritas, quæ est tãta, quãtã esse in te par est, qui eius sis filij pater, cuius prudentissimis consilijs tota propè dixerim Gallia, regnum orbis terrarum longè florẽtissimũ gubernatur: quanquã præterea antiq̃tas generis, cæteraq́ꝫ tua omnia, quæ amplissima esse, & felicissima agnoscimus: imprimisq́ꝫ tua illa ætas satis debebat quẽuis inuitare, ut si quid erat in lucẽ emissurus, quod alicuius cuperet uiri præclari splẽdore esse omnibus cõmẽdatum, id potissimũ ederet tui auspicio nominis: tamen (ut id quod est, fatear) dubitandi mihi caussa fuit, & ab hac re præ cæteris deterruit, quòd uerebar, ne tua ornamenta, mea imminueret, ac labefactaret infantia. Nam ego cùm ob oculos mihi te proponebam, nihil offendi humile: immò nihil non prædicandum, ornandum, extollendum: Mihi autem cũ

nullius essem conscius grauioris doctrinæ, aut facũdiæ politioris, quæ lectoris uel capere animũ, uel posset retinere: non duxi cõmittendũ, ut mea esset inscitia gloriæ tuæ fraudi. Sed uide, quid importunitas potuit amici. Ego posteaquàm supiori anno multis undis rei familiaris essem constituendæ iactatus, magnũq; interim literarum damnum fecissem, ad studia me potissimũ retuli literarũ. Quibus quò esset cõsultius, & quò nullo interpellante his possem nauiter insudare, ad ædes me contuli Ioannis Corbij, uiri cũ boni & singularis, tum perhumani, & in omni genere officij diligẽdi, quem propter summa eius in me beneficia, summãq; benignitatem, unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi. In huius ergo ædibus librũ HIPPOCRATIS de humana natura, unà cum commentario Galeni in eũdem librum de Græcia traduxi in Latinam coloniam. Quem quidem librũ hoc animo uerteram, ut quod erat de meis literis anno superiori detractum, stilo multarũ cõmoditatũ, dicendiq; opifice resarcirem: nõ quò edendum censerem. Semper enim ab hac re studij mei institutum & ratio fuit remotissima: nõ me hercle quò studiosis inuiderẽ, siquid uel studio nauare, uel ex me pmere utile possem: sed quòd clam me nõ esset, quanto haberẽt hac tempestate, ut in tanta clarorum uirorũ frequentia,

ducesilluſtriores,à quibus uel elimatiora queant,uel doctiora expectare. Huic meæ ſententiæ noſter ille Corbius grauiſsimè interceſſit,ad aures mihi quotidie occinens. ἄλιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. Hic ego,ut uerum fatear, ſatis commouebar,nõ Homeri me Hercle magniloquẽtia(habebam enim quibus id genus dicta poſſem non magno negocio retundere)ſed ipſius me Corbij mouebat auctoritas,quæ apud me uel maximum pondus habet.tamen ut illum ab iſta mente deducerem,quod unum agebam, & aliquam ſpeciem haberet mea oratio (nam plane frigebam, conſilioq́ deficiebar, ita nec opinantem, neq; ad eas rationes meditatum ſubitò oppreſſerat) huc me retuli. Heus tu inquam, προπέτεια πολλοῖς ἐστιν αἰτία κακῶν. φρονεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς, οὐκ ἀσφαλεῖς. Quæ ille cum facile conuelleret,neq; iam par ego eſse amplius poſſem: ne multis,impulit,ut iam certũ nobis eſſet emittere. Nec hic reſtitit tamen,ſed ut tibi dicarem,cõtendere à me,& inſtare cœpit. Hic cùm multas cauſſas dicerem,& quæ mihi uidebantur,adferrem, fregit conſilium meum,ac ad ſuã ſentẽtiam me traduxit. Dicebat enim amplitudinem tuam,auctoritatem,reliquaq́; tua omnia nõ eſſe in te,ut in pleriſq; omnibus,faſtuoſa,ſed mirifica cõdita humanitate: neq; te donum ſolere precio,ſed animo metiri donantis. Hæc ille

adducebat, aliaq́ insuper quàm plurima quæ nunc nõ est narrandi locus. Quid quæris? ego, cùm hominis esset tanta apud me multis officijs in me eius constituta auctoritas, ut citra ingratitudinis notã, nulla in re possem deesse eius uoluntati, non me sustinui amplius, adductusq́ sum, ut in eius sentẽtiam discederẽ. Malui enim officio cedere, quam famæ meæ rationẽ ducere. Nam sic existimo, ubi præstari utrunq́ non posit, non omnino esse improbi hominis, non habere in præsenti ita magnam rationem existimationis, præsertim ubi nulla est adiuncta turpitudo, & de pudore, ut ne cui parum uidearis beneficiorum memor, uehemẽtius laborare. Grauisimè autem me in hanc sententiam induxit, quòd nossem, quem apud te ille locum teneret: ac planè mihi persuasi, etsi nihil dignũ attulissem tuis auribus, facile excusationi per eum fore locum. Ea me opinio, ut in animum inducam, ne fallat, meiq́ me instituti ne pœnitendum existimem, cùm illius fecit fides, qua recepit, has se parteis mihi & honestas, & iucundas præstaturum: tum uerò existimatio de te publica. Nihil enim obscurè de insignibus ad laudem uiris, aut renunciari ambiguè solet. sed est excelso & illustri loco sita laus tua, & humanitas, non dicam in unius conspectu Galliæ, quod tamen uel amplisimum sit, sed

& Alpeis transcendit, montes superauit Pyreneos, ac in Germaniam non uario sermone, cæterum clarissima, & constantissima, unaq; omnium uoce permanauit. Illa iam tua prædicatur prudentia, ut quod Agamemnoni Nestor, id FRANCISCO tu uno Regũ omniũ facilè Maximo præstes: quam omnibus tũ probasti præcipuè, cũ aduersa moderatissimè ferres, quæ hoc loco nõ colligam, ne quorum tua sponte uoluisti obliuisci, hic ad memoriam reuocem. Felicitatem uerò quanta moderatus es sapientia? sed nõ faciã, ut ea, quæ prolixissimã reqrũt orationẽ, strictim hæc & ἀκρίτως recenseã. Neq; enim propositũ mihi est, tuas laudes hoc angusto loco celebrare, quas aliquando largius, & pro earum dignitate, quatenus assequi nostra facultas ualeat, copiosius persequemur. Quippe temeritatis fit, quæ uix locupletissima oratione complecti queas, cumq; campum habeas spaciosissimũ, ea modica moliri, & restricta limitare epistola. Quare ut redeã ad me, ita hoc donũ tuæ celsitudini offero, leuidense sanè & crasso filo, ut ab animo tibi deditissimo & obsequẽtissimo profectum esse uelim tibi persuadeas. Quòd si tibi meum hoc munusculum esse gratum intelligam, quod fore spero, omne meũ studium, operamq;, & me etiam totum ad te deferam, in quo & si cum

multis

cum multis contẽdam, nemini tamẽ, qui maiori erga te obseruantia & sedulitate futurus sit, concedam. Qua in re adiunctum habebo acerrimum incitatorem Ioannem Corbium tuum, uirum non huius seculi succinctum dolis, nullaq́; suffusum maleuolẽtia uel macula, sed simplicem antiquaq́; fide, tum qui nihil suo commodo, uerum honestate metitur, tui quidẽ certè, siquis alius, studiosissimũ, ac cuius in te summa constat & mirifica obseruantia, omnia deniq; qui tractat ἁπλῶς: quod quidem cum à te discessum est, nemini magis est domesticum & proprium. Et ut paucis, uirum profecto, qua es humanitate, tibi ornandum, dignumq́; qui te habeat suarum fortunarum patronum. Sed ut finem faciam, ego me tibi tuum clientem commendo, promittoq́;, quamcunq; fœturam hoc ingeniolum edere unquàm queat, tuam eam futuram: libẽterq́;, quicquid efficere omnino ualeam, aut studio aliquando consequi, id sine ulla exceptione, ad tuam amplitudinem uniuersum conferam. Vale Lutetiæ tertio Calend. Martias.

HIPPOCRATIS COI DE NATVRA HVMANA LIBELLVS, VNA CVM COMMENTARIO GALENI, HERMANNO CRVSERIO CAMPENSI INTERPRETE.



SCRIPSI olim de elementis ex sententia HIPPOCRATIS commentarium, quem cuidam, quo familiariter utebar, peregre proficiscẽti commisi, ad illius me cognitionem aggregans. Quæ igitur plane cognouisse illum perspexerã, neq; in capite libri demonstraui, neq; memini: quod tamen, ubi omnibus ex æquo, qui in librum incident, scribo, sum obseruare solitus. Qui cum haud scio quo pacto in uulgus prodijsset, aliũ præterea non duxi cõponendum. & in librum de humana natura enarrationem hac distuli gratia: quod omnia quæ ad eam attinebant disputationem, in illo ante edito cõmentario, quẽ de elementis secundum HIPPOCRATEM inscripsi, aperte declaraui. Nunc igitur, posteaq̃ familiares a me mei obtinere ipsius quoq; HIPPOCRATIS enarrationem instituerunt, non tantũ ut ea, quæ dogma requirit (id quod in commentario illo priori feceram) sed omnia ordine declararem: auspicans enarrare, illa prædicam, quæ in libri de elemẽtis secundũ HIPPOCRATEM principio prætermisi: quod ea certus essem, amicum non fugere. Vnum igitur quidem & primũ uenit dicẽdum, quid Naturæ uocabulo denotetur: a quo ueterum Philosophorum nõnulli cognomẽ ducentes, Physici, id est, naturales sunt appellati. quorum de Na- Quid natura.

tura relictos libros si euoluerimus, quid causæ sit, cur isthuc dicã, perspiciemus. Explicare enim illos primã substantiam, cuiusmodi sit, dixeritis: quam non genitam, sed esse perpetuam autumant, corporibus quæ ad generationem uel internetionem nata sunt subiectam omnibus: Deinde quæ sua ratione suppetunt, cuilibet eorum, quæ generãtur intereuntq;: quæ ubi cognoueris, eorum quoq; cognitio consequitur, quæ nõ sua ratione singulis separatim substantijs accidunt. Qua ratione absoluitur doctrina de uniuscuiusq; rei natura, si quidẽ eorũ quæ rei cuipiã insunt unum aut alterũ recenseas: ita enim fere loquuntur homines, ubi de rei natura aliquem habent sermonem. Quod & Poeta fecit, qui primo cum dixisset:

Homerus. Odyss, κ. ubi describit plantã τὸ μῶλυ.

Sic ait interpres diuum præbetq; medelam
De terra euulsam, tum naturam mihi monstrat.
Mox subiungit.
Nigra illi radix, & cui flos lacteus esset.

Hoc pacto qui de herbis scribunt, aut omnino qui de plantis, clare sensilem eorũ docent naturam, quale unũquodq; sit, si tangas, gustes, olfacias, & uideas explicantes: quam porro uim, ubi aut intra corpus assumas, aut foris applices. In his enim rerũ omnium sensilis natura cõstat. At uero alia est his superior, & prima, cuius cum ego ante memini, tum Plato eum uult tenere, qui quicquam uia parat, & ratione tractare: cuius tibi uerba adscribam. Quid? tu animæ (inquit) naturam ꝓbe absq; uniuersi natura assequi te posse existimas? Quin (siquid HIPPOCRATI credimus Asclepiadæ) ne de corpore quidem citra hãc rationem. Recte ille quidem Amice: faciundum tamen est, ut ad HIPPOCRATEM expendamus disputationem, consideremusq;, num consentiat illi. Recte. Quid igitur dicit HIPPOCRATES, & ueritas? num sic?

Socratis & Phædri de animæ natura dissertatio apud Platonẽ in Phædro.

Operæprecium

Operæprecium est rei cuiuslibet naturam considera= »
re: Primum, simplex ne sit, an multiformis, cuius no= »
bis comparare scientiam uolumus, & eam facultatem, »
ut alijs illam tradere possimus. Deinde, simplex si sit, »
animaduertēda illius facultas est, ecquam ad actionem »
habeat, aut ad passionem, comparatam. At multas si »
formas habeat, his enumeratis, quod in una, hoc in una= »
quaq; uidendum: ad quid scilicet faciundum sit, aut ad »
patiendum ab aliquo nata. Habes Platonis ex Phædro uerba, quæ naturæ significationem docent, & quanam est ratione & uia ipsius contemplanda substantia. Huiusmodi uero libros illos omneis, quibus ueteres Philosophi de Natura titulum fecerunt, comperies, Empedocles scilicet, Parmenides, Melissus, Alcmeon, Heraclitus. Sunt qui non unum modo, sed plures huius conscripserunt commentationis libros: Aliqui etiam permultos: ut Epicurus, qui perinde ut alij initio inuestigat, unum ne & simplex sit, cuius inuenire naturam conamur, an ex aliquibus se prioribus simplicibus compositum: quæ ueterum illorum successoribus elementa uocare solenne fuit, Grammaticorum exemplo, in Voce uiginti quatuor constituentium elemēta, hoc est, simplices & primas particulas, quas in alias non diuidas amplius, sicut syllabas: Quippe de hac syllaba stra, si primum detrahas elementum s, nihilominus seruare etiānum syllabam tra integrum est. Itidem si rursus a tra primā auferas literā t, id quod huius reliquum est, puta ra, diuidas licet, at tibi diuidundæ literæ a potestas amplius non datur: neq; illam duabus tribusue sonis constare, quod alijs multis usu uenit, commonstres: uerum est eius indiuisus sonus, non quantitate simpliciter (ut alibi cum nos probauimus, tum uero aliorum Philosophorum non paruus numerus) sed sola specie. Sic & qui quatuor elementa corporū, quæ

Veteres philosophi qui de Natura scripserunt.

Elementa.

generatione & internetione tenẽtur, dicũt aerem esse, ignem, terram, & aquam, quòd in alia amplius partiri horum singula nequeant: id in causa est, quã ob rẽ naturalis cõmentationis hæc constituãt principia. Est enim prima corporũ notio, minimorũ in quãtitate: quã excipit altera in qualitate: uti in Vocis elementis planum fecimus. Vnde existit inter Physicos & Philosophos contẽtio: cum alij corporum quæ generãtur & intereunt elementa particulas constituerint quantitate minimas, alij qualitate. Verum libro primo de medicis uocabulis, quatenus ad dictionis elementi significationem interest, nihil est relictum: quemadmodum de Naturæ significato, in quinto. Nos autem in præsenti nec appellationes, nec significatiões, sed ipsas spectamus res, ex quibus minimis siue magnitudine, siue specie, prima efficitur corporum genitorum compositio: quæ Aristoteles & nos similaria uocamus. Ex his altera nascitur corporum compositio, quæ instrumentalia appellamus: ut manus, cruris, oculi, linguæ, pulmonis, cordis, iecinoris, splenis, renũ, uentris, uteri, & id genus reliquorum. conflata enim est huiusmodi instrumentorum natura ex primis & similaribus, quæ Plato πρωτόγονα, hoc est, primogenia appellare consueuit. De horum differentijs uno iam uolumine disputauimus. Sed quo euadat illustrior clariorq; hæc institutio, paucis etiam nunc de his dicam. Similare os est, atq; cartilago, & ligamentum: similaris autem membrana, adeps, caro etiam illa, quæ musculorum fibras, quæ item sunt similares, inuestit: tum quæ in uisceribus est, quod παρέγχυμα, hoc est, adfusionem uocare Erasistratus solet. Declarauimus autẽ operis eius quo medẽdi methodum, cuiusmodi esset, demõstrauimus, initio: ut uia indicationis cures similaria corpora, fieri nõ posse, nisi cognoscas, unumquodq; eorum sitne simplex, an ex

Similaria.

Instrumẽtalia.

Primogenia.

παρέγχυμα.

ex pluribus compositum: Præterea, utrum per se tota sint cõmixta, an modo sese attingant. Ad hæc de Philosophis nonnullos docuimus, cuius est ordinis Erasistratus, semirationales esse: qui cũ partium morbis instrumentalium ratione medeantur, similarium morbos aut semel repudiant, aut experientia curant. Plurimi etiam istorum, quid inter instrumentalium intersit & similarium morbos, ignorant: sicut & de numero ambigunt utrorũq;. Vos uero Amici unum habetis meorum cõmentariorum de morborum differentijs: habetis autẽ & de medicamẽtis nõ paruũ uolumẽ, quã medendi Methodũ inscripsi. sed quærunt hæc & alia, de nostri corporis natura declarationẽ, quæ hoc docetur libro. Quo magis istos mireris, qui librum de humana natura HIPPOCRATIS non esse germanum existimant, cæterum, ut uocare ipsi solent, adulterinum: qui bus ea imposuerunt, quæ in hunc librum irrepserunt supposititia: de quibus in his cõmentarijs plura uerba faciam. Nũc quæ germanus HIPPOCRATIS liber, quæ item adulterinus continet, cõmemorasse sufficiet: quæ ad uerbum sic habent. Prima huius libri pars quæ unum librum constituit, ad ducentos quadraginta uersus protenditur, atq; hæc ex calido ostendit, & frigido, sicco, & humido animantiũ esse genita corpora: simulq; docet de humorum natura; Proxima hãc pars uaria est. nam huius primum caput morbos distinguit, quos erraticos uocãt, a passim grassantibus & pestilentibus: propriamq; generis utriusq; curationem in uniuersum indicat. Quæ sequitur, uenarum dissectionẽ explicat. Postea de morbis uaria tradit. dehinc salubris est diæta uulgo scripta. Sub hoc corpulẽtissimos qua ratione extenues, aut gracillimos corpulentos reddas. Posthæc de uomitibus agit. Per deinde breuis diætæ puerorum præscriptio, mox & mulierum, postea

Cõfutatio illorũ q hũc libellũ negabant esse Hippocratis.

Diuisio libri huius.

exercitia ſubeuntium. Poſtremo ad finem eſt de cerebri morbis per uerſus circiter decem, temere nulloq; iudicio adiectum. Quare haud eſt obſcurum, librum hunc totum ex multis eſſe inſtructum & conflatum, ad uerſus fere ſexcentos, aut paulo minus productum: cuius primum caput, ubi de elementis tractat & humoribus, artẽ prorſus HIPPOCRATIS præ ſe fert. Secundum item, quod ab erraticis graſſanteis paſſim morbos diſcernit. At illud de uenarũ diſſectione, quod ſuppoſitum eſſe clariſsime tenetur, uitioſum eſt uniuerſum. Nam nec ijs conſtat, quæ apertiſsima ſunt, & cum ijs, quæ in ſecundo de morbis paſsim graſſantibus dicta ſunt, pugnat. Eorum quæ ſequuntur, quædam ſunt irreptitia: de quibus, cum tibi librum interpretabimur, ſedulo cognoſcemus: Quædam uero præclara ſunt, & paucis uerbis commode dicta, & cum HIPPOCRATIS arte coniuncta: ut quæ de ſalubri ſunt diæta diſputata. Hæ tibi libri huius partes: Cuius quidem pars prima totius habet HIPPOCRATICAE artis ueluti crepidam. Vnde me quoſdam demirari teſtabar, qui eam alienam ab HIPPOCRATIS ſenſu contendunt: cum illorum, quibus eſt perſpecta ars HIPPOCRATIS, maxima pars hunc referat librum in numerum legitimorum, magni eſſe HIPPOCRATIS cenſens. nonnulli eius eſſe diſcipuli, ſimul & in iuuenibus inſtituendis ſucceſſoris Polybi, quem in nullo uideas ſuo libro ab HIPPOCRATIS placitis latum diſcedere digitum: uti nec eius filium Theſſalum, Dij immortales quem hunc quoq; uirum: qui tamen in patria, ſicut Polybus, non exegit ſuam ætatem. erat enim Regi Macedoniæ Archelao familiaris. Ergo alij, ut dixi, Medici, demptis paucis, prope omneis HIPPOCRATIS eſſe de humana natura librum crediderunt: adeoq; nec clam id Platonem fuit:

Librum de humana natura Hippocratis eſſe.

Polybus.

Theſſalus.

qui

qui in Phædro scribit id, quod dudũ ante oculos proposui eulogium, cuius est initium. Quid ? tu animæ, „ inquit, naturam probe absq; uniuersi natura te assequi „ posse existimas? Quin (siquid HIPPOCRATI Ascle „ piadæ credimus) ne de corpore quidem citra hanc „ uiam & rationem. Hæc legisse temerarios istos nugatores oportuit, atq; in quo sit libro HIPPOCRATIS hæc a Platone commendata ratio scripta consyderare: neq; enim nisi in hoc, quem in manibus habemus, de hominis natura libro, inuenias usquam: Deinde etiam alia singula, quorum meminit Plato, quæ ego in libris, quos de elementis secundum HIPPOCRATEM scripsi, docui: tum nunc ut declarem, accingor: quandoquidem ita stat sententia. Atq; hoc etiam cum sermoni adiecero, ad enarranda huius libri uerba progrediar. Posteaquam ille, quem de elementis secundum HIPPOCRTEM composueram, liber in publicum exijsset, uiriq; eum literati omneis probauissent: certi homines studij humanitatis expertes, qui cum demonstrationum illic scriptarum conuellere nullam ualerent, licet certe hoc egerant, inuidia rumpebantur, ac hoc esse ad calũnias factitandas satis duxerũt, uolumen nõ esse HIPPOCRATIS. Age, non esto HIPPOCRATIS, nec ipsius Polybi, nec (si uelint) esto scriptus unquã de humana natura liber, ex calido, frigido, sicco, & humido corpora nostra demonstrãs facta esse, ut uel hoc illis cõcedamus: hæc certe, ex his constare corpora nostra, HIPPOCRATIS est sentẽtia. Siquidem in libris suis germanissimis, nõ solũ ubi morborũ tractat differẽtias, clarissime suis principijs constat. sed & hoc illi in remediorum est rationibus inueniendis uestigium. Morbi enim eorum calore, frigiditate, humiditate, & siccitate inrer sese distant. Curabis, si calidos refrigeres, humidos exicces: item si frigidos calfacias, siccos humectes.

Corpora nr̃a cõstare ex quatuor elementis Hippocratis est sentẽtia.

mectes. Præterea ante hæc, naturas ipsas quæ in homine insunt, alias calidas, alias frigidas, has humidas, illas siccas esse existimat. Eodem modo ætates ac regiones eosdemq; esse modos differentiarum censet: cum uerbum de his nusquam ullum Erasistratus fecit, nec item alius illorum quisquam, qui calorem acquisititium esse, non insitum putant. Sic iam HIPPOCRATES alia singula ad hæc principia reducit: quod nō tuetur Erasistratus: quæ causa est, cur naturalium operum quædam minus inuestiget: id quod in naturalium facultatum commentarijs ostendimus. Postquam uero ij, qui præclaris omnibus oblatrant, de libri quæruntur longitudine, nihil minus scribere, quam commētarios nos iactantes: horum eis conuitiorum materiam præcidere in animum induxi, alio separatim uolumine scribēdo, in quo coniunctam esse ubiq; cū HIPPOCRATE meam sententiam demonstrabo: tum ut scripsit in libro de humana natura, tum ut in alijs omnibus libris. Neq; clam me est, ut faciunt in omnibus quæ demonstratione confirmauimus, uerentes æmuli, quæ laudibus omnes prosequuntur, uituperare: ubi aliquas reprehēdo præceptiones, de quibus cū ipsis cōuenit: itē nę nūc quidē eos ab ingenio suo recessisse. Nam in libris quos scribere instituimus, his quidem uti HIPPOCRATEM elementaribus scopis calido, frigido, sicco, & humido, id quod est, confirmabunt: non tamen eum recte sentire. Posteaquā uero ex his componi nostra corpora demonstrat, nō eam dicent HIPPOCRATIS sententiam esse: neq; enim HIPPOCRATIS librum esse de humana natura, Itaq; ut illi nullum habent modum suæ malitiæ, ita nec nos, quæ singulis alijs cōmentarijs prodidimus, repetamus, ut illis subijciamus: Neq; cum per omneis, quos reliquit libros HIPPOCRATES, scientiam de inuentis elemētis suæ arti subiecisse

fundamentum

fundamentũ demonstramus, hoc negligant, de ueritate autem eorum quæstionem habeant. Neq; cum de ueritate cõmentamur, uel demonstramus, confugiant ad sententiæ illius cõsyderationem. Sed nũ uera sint quæ de elementis dicta sunt, separatim quærant: priuatim itẽ an hæc cõstituit elementa HIPPOCRATES. Hæc igitur duo in quæstione uersantur: quorum prius cũ in libro, quem de elementis secundum HIPPOCRATEM scripsi, tum in præsenti cognoscant. Iam uero hoc sequitur corollarium, quod uiris non inconsultis prorsus hoc probatur, ubiq; suis illum, quæ posuit, elementis consentire, præsentemq; conscripsisse librum.



QVI CONSVEVIT audire eos, qui de humana natura ultrà quàm Medicæ facultatis interest, disputãt, huic certè hãc disputationẽ audire nõ ex usu est. Neq; enim prorsus dico hominẽ aerẽ esse, aut ignẽ, aut aquam, aut terrã, aut aliquid aliud: quòd minime unũ in homine inesse manifestò appareat: Sed hæc quibus placet dicere, permitto.

¶ Aegre fieri uidetur posse, ut quid his uerbis interpretur auctor, plane assequaris. incusat enim illos, qui longius, ac medicinæ ratio postulat, disputationem de natura abducũt. Longius abducere illos intelligas, qui ignem, aquam, aerem, & terram humanæ naturæ esse elementa dicunt, si non misceant elementa. præterea illos, qui elementum unum esse quiddam dicunt. Ad quorum prius imaginatio, quæ sese promptissime offert, nos impellit: quod si magis attendamus, ad secundum

Qui de Humana natura ultrà q̃ Medicæ facultatis interest, disputant.

cundum accẽdimus. Nam ſiquis eos, qui ex igne, aere, aqua, & terra ſimul cõmixtis noſtra corpora cõſtituta eſſe exiſtimãt, cõueniat: ut aquã in nobis, aut ignẽ, aut terrã, aut aerẽ oſtendãt: quod ni cõmonſtrẽt, cõuinci dicat: næ iniquã ille cõditionẽ offerat. Quod perinde

Tetrapharmacon. eſt, ac ſi in medicamento Tetrapharmaco merã tibi ceram oſtẽdi, aut picem, aut adipẽ, aut reſinam poſtules: ſi id quis non poſſet, nõ admiſſurus ex his illud eſſe cõpoſitum. Simul enim cum quatuor miſceri dicuntur, nihil quoq; oſtenditur integrum ex illis eſſe. Vtrũq; igitur poſſumus in præſenti oratione intelligere. In ijs uero, quæ poſthac dicentur, uidetur ſecundũ auctor conſtituere. Immo ſi diligenter animũ aduertas, in his

» etiam ipſis uerbis: cũ dicit, Neq; enim aerẽ eſſe prorſus hominẽ. non hoc affirmat, quod non ſit prorſus in nobis aer: quẽadmodũ nec quod ignis, aut aqua, aut ter

τὸ πάμπαν id eſt prorſus. ra: ſed quod nõ prorſus (τὸ πάμπαν Græci dicunt). Hoc autẽ uocabulo non omnino ſignificatur, nõ autẽ nulla ex parte. Neq; enim res, qua de agitur, a dictione prorſus tollitur uniuerſa: cæterum quod in ea abſolutũ eſt & immixtũ, labefactatur. In qua etiã ſignificatione Ho

Homerus. merus uſus hac dictione πάμπαν uidetur, apud quẽ eſt:

» οὐδ᾽ ὅ γε πάμπαν

» ἤθελε λαὸν ὀλέσαι ἀχαϊκὸν ἰλιόθι πρό. id eſt, Nõ quia prorſus

» Sub Troia uoluit Græcorum perdere gentem.

» Iam & ipſe HIPPOCRATES, cũ dicit: Morborum

» acutorũ nõ prorſus certæ ſunt prædictiones, neq; ſani

» tatis, neq; mortis. Iouẽ enim inquit Poeta in Thetidis gratiã, magnã uelle Græcorũ ſtragẽ edere, non delere tamẽ eos omnino. HIPPOCRATES multas eſſe prædictiones firmas dicit, ut in commẽtarijs in librũ præſagiorum demonſtrauimus: at non omnes rectius intelligas. quod non minus ſequentia declarant, qui aerẽ humani corporis elementum eſſe ſolum uolunt, nõ ire

in

in horum ſentẽtiam HIPPOCRATEM: ſicuti nec in illorum, qui terram ſolam, aut aquam, aut ignem: cum non unum horum, ſed omnia ſint elementa. Rectius proinde etiam dictionem ad finẽ orationis, quando ambigua eſt in Amphibologiæ genere, quæ a diuiſione & compoſitione naſcitur, diuiſim legas: ubi ait, οὔτ' ἄλλο οὐδ' ἕν, ὅτι μὴ φανερόν ἐστι ἓν ἐὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, hoc eſt, neque quid aliud: quòd minime unum in homine ineſſe appareat. Vbi ἓν ἐόν, non ut qui primã interpretationem celebrant, opinantur, una eſt orationis pars: quæ apud alios Græcos eſt diſſyllaba, ἑνὸν: triſyllaba apud Iones, ἑνεὸν: ſed orationis duæ ſunt partes: prima, nomẽ monoſyllabũ: ut cum numerando dicimus unum, duo, tria: altera, quam nos ὄν, Iones ἐὸν duabus exprimunt ſyllabis. Oſtendemus nãq; inferius, non his HIPPOCRATEM, quorũ eſt ratio unũquodq; quatuor elemẽtorum in corpore contineri, ſed illis reclamare, qui unũ de ijs hominis naturam eſſe putãt. At qua ratione dices Medicinæ ſepta hæc oratio tranſilit, qua quidã unũ quodlibet elementum eſſe hominis naturam ſtatuunt: quod hanc opinionem, ut ille ipſe paulo poſt ait, hominẽ nũquam laborare e dolore ſequitur: Quod etiam ſi fatearis, unum & quod medetur, eſſe ſequitur. Cum uero tum quod doleat, tum quod curet eſſe multiplex uideatur, falſam eſſe orationem ueritas exprimit. Inſpiciamus itaq; dictorum unumquodq; in ſequentibus clauſulis, quonam illa modo aſtruat.

NEque enim prorſus dico hominem aerem eſſe, aut ignem, aut aquam, aut terram, aut quid aliud: quòd minimè unum in homine ineſſe manifeſtò appareat. Sed hæc quibus placet dicere, permitto.

Capito & Dioscorides libros Hippocratis deprauarunt.

Artemidorus, cui cognomẽ Capitoni fuit, HIPPOCRATIS libros edidit. quæ editio, sicut illa propinqui sui Dioscoridis, nõ solum clara apud Imperatorem Hadrianũ erat, uerum etiam nũc a nõ parũ multis satis probata. Horũ uterq; multis corrigẽdis, antiquã illam, quã solã qui HIPPOCRATIS libros sunt interpretati, agnoscũt, scripturã immutarũt. Nã cũ alia pleraq;, tum hanc nobis propositam orationẽ Capito mutauit, atq; ad hũc modũ scripsit. Neq; enim in uniuersum aerẽ dico hominem esse, neq; ignẽ, neq; aquã. Hic post eaquã nullũ inuenit uiri antiqui librũ, terrã esse solã elementũ dicẽtis, ac ne apud eos quidẽ, qui eã opinionem magna ui sustinuerũt, Peripateticos, quod ad huius opinionis faceret defensionẽ, memoriæ proditũ: quãdam dictionẽ impudenter immutãdam duxit. Præstabat uero incusare illos, qui ambitiose inuestigant, ecquis ille sit, qui solã terrã elementũ esse arbitratur. Cui simile est, si quæras qui erat, qui manum luxatã supine ligari uolebat: qui calcaneum aliter, atq; HIPPOCRATES, religari mandabat: qui clauẽis: qui coniunctas cum ulcere fracturas, ulceris nullam curã habens, in aliis autem laborans: aut qui inurendo humeri articulo nõ induxit suis locis escharas: aut qui erant, quos in cõmentatione de Spina reprehẽdit. Profecto multa dixit huiusmodi HIPPOCRATES, & in libro de fracturis, & in libro de articulis, interim quasi uno, interim quasi multis errantibus: ut etiã in libro de uictus ratione in morbis acutis simul multos notat Medicos: cuius hæc sunt uerba. Nõ me latet secus longe, quã res postulat, Medicos facere: quippe q ab initio duos, aut treis, aut etiã plures dies fame cruciãt ægrotos: deinde & sorbitiones, & potiones exhibẽt. Hi qui essent, hanc uictus rationem qui præscribebãt, aperiãt nobis uelim interp̃tes: Qui porro, q existimabãt pituitã solã esse hoĩem:

bui flauam bilem: qui autem atram. Nam inferius hoc ipso in libro de hominis Natura, esse dicit nonnullos, qui hæc assererent. Quo rectius interpretes dixerint, nō omneis forte illos suas sentētias scriptas reliquisse. Fieri etiam potuit, ut illi scripserint quidem, at libri tamen incolumes non permanserint. Atq; causæ multæ sunt, cur fieri istud uideas. propterea quod de his aliqui præceptorum æmulos non haberēt. Partim quod dum uiuerent, libros non ederent: quibus uita functis exemplaria, quæ extabant, unum fortassis aut alterum, perierūt. Potuerunt etiam eorum scripta, quod essent cōtēpta, negligi, atq; diuturnitate prorsus interire. Nā inuidi quidem certe sunt, qui aut supprimunt ueterum monimenta, aut omnino demoliuntur. Quod quidam eo committunt, ut quæ in eis scripta sunt, sibi ea attribuant: aut si præclari quid tradiderint, qui alienas opiniones scripserūt, id ut pereat. Athenis autem illustria reperiūtur edita a Comœdis & Tragœdis Poetis munera, quorum iam fabulas desyderamus. Atq; ut alias caussas omneis prætermittam, duas tantum, quæ Romæ nuper accidebant, proferam. Sæpe incensa templa, sæpe uero terræmotibus collapsa, aut alia ratione, cur multi nobis libri perierint, in caussa fuerunt. Male ergo antiquam scripturam Capito fuit corrigere ausus: cum ne hoc quidem addiderit, primum librarium potuisse lapsum esse, qui pro alio aliud scripsisset. Male porro etiam interpretes quidam de Xenophane mentiti sunt: ex quibus est Sabinus, qui citatis ipsis nominibus, in hæc uerba scripsit. Neq; prorsus aerē dico hominem, exemplo Anaximenis: neq; aquam, ut Thales: nec terram, ut quodam loco Xenophanes. Quæ nusquam Xenophanes decernere inuenitur. Adeoq; suo se indicio mentitum de illo indicat, non autē ignoratione offendisse: alioqui sane, libri etiam, ubi hæc il-

Qua de cā multi ueterū libri perierint.

Sabinus de Xenophane mētitur.

le decernit,nomen protulisset: Nunc uero sic scribit.
» Neq; terrã,ut quodam loco Zenophanes. Iam Theophrastus quidem in naturalium placitorũ compendio, Xenophanis,si quod eiusmodi tradidisset,decretũ non præteriisset. Illiusq; ipsius Theophrasti libros, quibus naturalia placita in cõpendium redegit,si hæc te lectio capit,legas licet. Quod si ueterũ placita Medicorũ uelis cognoscere: quos legas libros,ubi præcepta sunt medica cõtracta,adscriptos quidẽ Aristoteli,a Menone tamẽ eius discipulo sine cõtrouersia scriptos habes:
Menonea. quocirca Menoniis quidam his libris nomẽ dederunt. Neq; obscurũ est Menonẽ illum,cum omnem curã & operã conferret ad inuestigãdos,qui sua memoria adhuc extabãt,ueterum Medicorũ libros,inde illorũ placita collegisse. Nam illorũ,qui iam interciderãt omnino: aut integri quidem erãt,nõ in lucẽ tamen prodierant,qui scribere præcepta potuit? Atq; istis in libris nõ comperies aut bilem flauã,aut atrã,aut pituitã ne ab uno quidem humanæ naturæ elementum esse assertum. Sãguinẽ uero etiam multi post HIPPOCRATIS memoriã esse solũ in nobis uidenẽ opinari: ut huic primam nostram generationem,deinde in utero incremẽtum,& a partu absolutionem debeamus. Atqui HIPPOCRATES quidem haud multo post docet statuere quosdam pituitam,& bilem esse hominẽ: nõ hoc scripturus,nisi in ea sentẽtia quidam aut sua memoria,aut ante se fuissent.

ATqui mihi quidẽ nõ uidentur,qui hæc asserunt,rectè sentire. Nã cùm idem sentiãt, loquũtur tamẽ diuersa. Sed opinionis eandem collectionẽ faciũt. Aiunt enim unum esse,quod est: ac id unũ esse & omne: hic ignẽ,ille aerem,

alius

alius aquam, nõ nemo terram. Tum suã quisq; opinionẽ confirmat testimonijs & indicijs, quæ nullius sunt momenti. Quòd uerò in eadẽ sunt sententia, uerbis autem dissentiũt, ea res arguit eos quæ profitentur non sanè intelligere. Quod quidẽ huic præcipuè perspicere licuit, qui illorum cõtentionibus interfuerit. Nam cum ijdem uiri in eadem corona inter se contendant, nunq̃ tamen in disputatione unus idemq; uir treis ordine alios conuicit: sed modò hic superior est, modò ille: cui præsertim fuerit lingua magis fluxa, magisq; ad turbã accommodata. Quanq̃ qui suam, quam de rebus habet, opinionem rectam esse contendit, is meritò rationes suas inuictas semper præstare deberet, si quidem certè intelligat, & rectè existimet. Sed hi homines mea sententia, cùm suis se uerbis disputando, qua sunt uæcordia, circunscribunt: tum uerò Melissi sententiam constituunt. Sed de his hactenus.

¶ Agit, tanq̃ cum illis sibi sermo sit, quibus cognita est disputatio eorum, qui unum elementum constituunt. Nam qui ignem dicunt elementum esse, ex hoc oriri cætera uolunt, condensato, coacto, & concreto: Si paulum densetur, generari aerem: Si largius, aquam: Sin autem extreme & plurimum, terram. Qui aquam & aerẽ, itidem pro ratione, qua densantur atq; liquescũt, cætera producere dicunt. Aiunt enim concretã aquã, terram fieri: liquefactam, aerem. Non aliter quam aerem concretũ, aquã: liquefactũ uero, ignẽ. Itaq; eorũ, qui

Ratio eorũ, qui unũ ex elemẽtis solũ asserũt.

qui unum quodlibet esse elementum cõstituunt, ex eo quod inter se hæc quatuor, aliud in aliud, transformentur, ratio dependet. Quapropter in eadem illos sententia esse dicit, attamen non eadem profiteri. Hoc ergo toto sermone aperta illi cũ ijs, qui unum tantũ ex quatuor elementis esse existimant hominem, controuersia est: eosq; errare dicit. Nam quod nihil demonstrant, omnibus probant. Quippe qui de elementis unum esse hominem non constituunt: Melissi uero dogma cõfirmant: qui quidem etiam esse unum elementũ putabat, cæterum ex quatuor illis aere, terra, aqua, igne nullum. Videtur enim uir hic substantiam esse communẽ quandam commentatus, quatuor subiectam elementis, a generatione & interitu liberam: quæ a posteris eius ὕλη, id est, sylua, est dicta, non id tamen recte potuisse, atq; ordine probare. Atq; hanc ipsam substantiam uocat unum illud & uniuersum: Quod & ipsum quidẽ falsum est. Neq; enim solum illud unum corporum est quæ generantur & intereunt principium (quæ Melissi fuit opinio) sed præter ipsum qualitates quatuor, extrema frigiditas, siccitas, calor, & humiditas: non tamen sunt hæc elementa, non solum cæterarum rerum, sed ne hominis quidem: immo uero principia. Nam hoc apud ueteres (quibus quid elemento principium distaret, non uenit in mentem: quod & principia etiã elementi nomine appellari possunt) cõfusum erat. Verum enimuero duæ res sunt aperte inter sese distinctæ: Altera est minima totius particula: Altera, in quã imaginando hanc secare possis. Ignem uerbi gratia, in duo corpora, ut ex ijs temperatum commonstres, partire non potes. Eadem ratione nec terram, nec aquam, nec aerem. At cogitando potes, aliam esse illius, quod mutatur, substantiam: aliam item ipsius esse mutationẽ cõsequi. Nec idem est quod mutatur, atq; ipsius mutatio.

Melissi dogma.

ὕλη.

Quatuor q̃litates non elemẽta, sed prĩcipia sũt

Elemẽtũ à prĩcipio q̃d differat.

Mutatum à mutatione differt.

tio. Quod enim mutatur, subiectum est: cum mutatio eius a qualitatum efficiatur uicissitudine: cui cum insit summus calor, efficitur ignis. Ita euadit aqua, si ad id extrema humiditas accedat. Eodem modo fit terra, ubi sua natura ab omni qualitate remotum illud subiectum siccitate citra caliditatem imbuatur. Contra aqua, cum humiditate. Nam de primo quidem frigido non parua quæstio extitit, quæ nullū medicæ facultatis operibus usum præstat. Operæprecium autē facias, si perquiras: simplex ne humanum corpus sit, an ex simplicibus quatuor constitutum. Quod & Platonis docuit auctoritas, & nos mox ab initio Methodi medēdi. Attingemus autem & alias. Nunc subijciemus: quod in uerbis iam propositis nobis, non his qui quatuor elementa, sed illis qui unum ex quatuor esse dicunt hominem, contradicit. Potior ergo erat in prima oratione lectio, quæ in pronūciatione primam aspirat syllabam τὸ ἓν ἐόν. Nam non esse unum, sed plura constituentia naturā hominis elementa, declarat HIPPOCRATES: non uero quod ex quatuor elementis sit quicquam in corpore syncerum: quod nunquam protulerūt, ne huius quidem professionis designatores: sed unum quid a quatuor illis separatum, quod est ex ipsis compositum, definiunt. Vt tetrapharmacum medicamentum neq; ceram esse, neq; picem, nec resinam, nec adipem: sed unum quid aliud ab ijs distinctum, quod ex his est omnibus genitum. Iam uero hæc quoq; opinio duplex est. Nam quidam quatuor tantum qualitates inter se totas commisceri, quidam substantias censent. Peripatetici priorem, alteram tuentur Stoici. Præterea ante hos Empedocles ex immutabilibus putat elementis fieri naturam corporum compositorum: perinde inter se mixtis mutuo primis, ac si leuigata exacte & puluerata æruginem, chalciten, cadmiam, & misy

Primū frigidum.

Duplex opinio eorū, qui elementa cōmisceri dicunt.

Empedoclis opinio.

cõmiſceas,ita ut nullum de illis niſi una cum alio queas manu contingere.

AT uerò ex Medicis quidam hominẽ ſanguinem tantum eſſe,quidam bilem,alij pituitam dicunt.

Cõtra Medicos, qui uno humore dicũt hominem cõſtare.

¶Poſteaq̃ ſuperiori loco contra Philoſophos diſputauit,qui aut ignem ſolum,aut aquam,aut terram,aut aerem,naturã noſtri corporis eſſe putant: hic ſe ad Medicos conuertit,hos iuxta ac illos in errore eſſe demõſtrans,qui aut ſanguinem ſolũ eſſe hominẽ,aut bilẽ,aut pituitã ducũt. Hic ergo quod in prima omniũ oratione uidebatur eſſe ambiguũ,plane diſtinguitur, nõ quatuor elementa ponentibus,ſed unum ex ijs ſolum,contradicere ſemper uidetur. Atq; hic Medicorum præteritur quædam opinio reſpõdens Meliſsi, eorũ uidelicet,qui unũ eſſe hominẽ dicũt, quod dum mutatur,fit unumquodq; eorum,quorum meminimus.

Confutat Hippocrates rationes eorum,qui unũ eſſe hominẽ aſſerunt.

IAm & hi omnes eãdem ſubijciũt cõcluſionẽ, Aiunt enim unũ eſſe,cui nomẽ ad illorum cuiuſq; libidinẽ imponitur: porrò id unũ formã & facultatem mutare à calore uel frigore coactũ: & dulce,amarũ,albũ,nigrũ,& omnimodũ fieri. Verum hæc non ſic habere uidentur.

¶Et Medicos ait,qui unũ eſſe naturæ humorẽ confirmauerunt,inter ſeſe idẽ,atq; fecerũt Philoſophi,cõcludere,unũ hunc humorẽ,quẽ ponit quiſq; eorũ,in cæteros conuerti docẽtes. Quæ uero ad ſuã quiſq; opinionem aſtruendam adducit, hæc ex humoribus quatuor

nullum

nullũ esse in natura ostendũt,sed pro his aliũ priorẽ,ex cuius mutatione hi fiant,cuiusmodi in medica specula-tione scitũ cõsistere,ut in Naturali Melissi,neq̃t. Itaq; quãdo unũ hoc mutari uolũt caloris ui & frigiditatis, euadereq; dulce,amarũ,albũ,& nigrũ,nullũ isti ex quatuor illis appellare uidẽtur. Quos cõfutans,nõ naturæ propriũ illud esse ait,sed quippiã aliud,quod in hæc cõuertitur. Dulce enim sanguinem esse: amarum,flauã bilẽ: albũ,pituitã: nigrũ,atrã bilẽ probabiliter dictam esse. in quæ transire illud unum a calido & frigido impulsum dicit. Iã p id quod ad finẽ adiectũ est,& omni-modũ,saniẽ quæ in morbis periculosis accidit, intelligit. Nã & æruginosa apparet,& fusca bilis, quã luteã appellant. Itẽ rubra quædã, & porro similis, nec non aliæ, quas exprimere nequeas: maxime cum putridus sit morbus.

MEa uerò est sententia: si unum esset homo,nullo unq̃ dolore afficeretur. neq; enim esset à quo doleret, ubi unum tantum foret. Quod si doleret etiã,necessariò unũ quoq; medicamentum esset. Hic ipsum dogma eorũ euertit, qui existimant unũ esse hominem.

¶Nuper rationes,quas adducebant, qui unũ putabant esse hominẽ,cõuellebat: probãs non a demonstratione tantũ, sed a ueri etiam similitudine alienas esse. Nunc ipsam eorũ sententiã,qui q̃ unũ sit homo existimant,euertit. Nõ est autẽ perinde rationẽ cõfutare quæ adducitur,atq; placitũ falsitatis postulare. Est enim, cum placitum esse uerum possit, licet commode ab aliquibus non sit defensum. At tum non ipsum placitum,sed eius reprehenduntur patroni. Hic ergo mittit eorum rationes, fert autem in quæstionem solum per se placitum, argumento usus ut fortissimo,ita & breuissimo. Nam si unum esset homo, eum nullus dolor uexaret. Si unum esset homo nõ doleret

qua ait ratione coargui, qui insecta, incompacta, & minima elementa statuunt. Specie nãq; unũ etiam est horum sententia, quod reuera est. Sic autem primũ corpus est appellatum, quod nec generationem, nec internetionem recipit: quãdoquidem reliqua ex illius cõpositione omnia generationẽ obtinent. Etenim quod ex his placitum proficiscetur, in perpetuorum illorũ corporum certa compositione nostram collocat generationẽ: ut HIPPOCRATICVM in quatuor elemẽtorũ temperatura: quod Aristoteles & Stoici approbauerũt. Nam quod unum simplex elementũ si esset, nõ doleret ex eiusmodi elemẽto cõpositũ corpus: indicio esse ait, quod aliud nõ sit, cui sit in id agendi facultas. Neq; enim ex seipso quidem certe pati unum hoc corpus ualeat. Et ut dolere ipsum donemus, ex seipso patiens: simplex tamẽ erit curatio. Nã multa cũ in eo non sint, multæ esse curationis rationes nequeunt.

AT uerò multa existũt: quia multa in corpore sunt, quæ cũ præter naturã à se mutuò calfiũt, aut refrigerãtur, aut siccescũt, aut humescũt, morbos pariũt. Ex quo multæ sũt morborũ formæ, & multæ quoq; illorũ curationes.

¶ Nouissimis ante hæc uerbis eos, qui unũ esse hominem dicũt, (quod nõ aliud est, ac si dicas: elementũ ex quo cõstituitur homo, unũ esse) ex absurditatibus conuincit, quæ placitũ istud cõsequũtur. Siquidẽ nũq̃ doleremus: quippe aliud, quod afficiẽdi unius illius facultatem haberet, non extaret. Deinde etiam si hoc concedamus, erit uniformis, non multiplcx curatio. Præsenti sermone ea explanauit, quæ primo subsistere demonstraturus est, a quibus alia omnia oriuntur. Hæc sunt calidum, frigidum, siccum, & humidum. quæ ubi modice

modice sunt mutuo tẽperata, salubriter degit animans. Sin autem sese mutuo calfaciant, refrigerent, exiccent, & humectent, ad dolores inferendos natura comparata sunt, qui non uno curantur modo medendi: cũ quosdam illorum, partibus dolentibus calfaciẽdis, quosdam refrigerandis, aut siccandis, humectandisue depellas. Quibus in rebus plurimum elaborauimus in libris de simplicium medicamentorum facultate, & in libris de medendi methodo. Nihil tamẽ caussæ fuerit, quin etiã hic de his dicamus paucis, cum clarissime ualeam ostendere a calido, & frigido: humido, & sicco nos & dolere & curari. Nam qui est, dolorẽ qui non sentiat? ubi aspera hyeme in publicum prodire paret: qui, ubi feruente æstu? Qui autem sitiens non dolet? aut qui potu uuidus? Nempe enim cũ sitis oriatur, ubi siccamur: immodica impletio contrarium pariat affectum. Atque phlegmone, simulque omneis dolorẽ excitãtes, & præter naturam tumores, interim ab exuberante humore in partem impacto, constant: interim quod illi ipsi humores præter naturam aut calidi sint, aut frigidi. Iam uero corpora quoque nimia humiditate impleta, uacuatione curantur: præter naturam sicca, humiditate admota. Sic quod dolet a frigore, calfactum: quod ab immoderato æstu, refrigeratum. Iam etiam omnia medicamenta calfaciendo, aut refrigerãdo, aut siccando, aut humectando munus suum obire ostẽsum est: quod hæ primæ sint qualitates actiuæ, corporumque immutatrices: uti declarauimus in libro de elementis secundum HIPPOCRATEM. Quas sequuntur qualitates, quæ in gustu insunt, quarum sunt nomina, astrictio, austeritas, acerbitas, amaror, salsedo, acor, acetositas, dulcedo, & pinguedo. Et colori quæ accidũt in albedine, nigredine, rubore, & id genus aliis. Item quæ tactui, in duritie, & mollitie: in friabilitate, & lentore. Olfactui

A calido, frigido, humido, & sicco, & dolor & curatio.

Qualitates quæ sensuũ

qualitates totidem ſunt, quot guſtui. uerum peculiaria uocabula non ſunt ſortitæ. Nam odorum in fragrantia & fœtore differentia, recte ſane differentia exiſtimabitur, diceturq; multas formas ſequi. Habes ergo huius ſermonis capita. Quorum pars in libro de elementis secũdum HIPPOCRATEM explanata eſt, pars in tractatu de ſimplicibus medicamentis. Vulgus uero in diſcendis demonſtrationibus ſtudiũ ponere detrectat: quæ non cognouit, his reclamat ſtatim. Cõtra ſtudioſi, & ueritatis amantes, omnẽ in percipiendis demonſtrationibus induſtriã ponunt: non facile uero oblatrant.

Reprehendit eosq; hominem eſſe ſanguinem tãtũ uolũt, aut bilẽ, aut pituitam.

CAeterum mea quidem opinione, qui homînem ſanguinẽ, & nullam aliam rem eſſe cẽſet, is deberet demonſtrare eum non mutare formam, aut omnimodum fieri, aut ſaltẽ aliquod anni tempus, aut hominis ætatẽ oſtendere: qua ſanguis ſolus appareat eſſe in homine. Veriſimile nãq; eſt, eſſe aliquod certè tempus, quo id unum in eo eſſe appareat. Hæc à me dicuntur etiam in eum, qui pituitam eſſe hominem, & qui bilem ait.

¶ Etiam hic in illos diſputat, qui unum eſſe hominem ferunt: quod a principio ſibi propoſitum eſſe profeſſus eſt. Inter quos primũ reprehẽdit hos, qui ſanguinẽ aiunt eũ eſſe. Potiſsimũ ualenteis, inquit, homines ſanguinẽ in corpore ſolũ citra aut pituitã, aut bilẽ (ſiquidem natura ſit ſanguis ſolus in corpore) cõtinere oportebat. Deinde ſi uel cõcedamus colligi interdum in corpore bilem, & pituitam: ætatẽ certe unam aliquã, aut anni inuenir i tempus, cum ſolus ſine alijs humoribus

insit in corpore sanguis. Eodē modo cōfutat eos, qui bilem uel pituitam uolunt hominem esse, hoc est, naturā id solum esse: arbitrantes autē in hoc & primam generationem ex hoc humore factam esse.

QVæ uerò hominem ego esse dixero, ea & pro lege & natura, ætate tam iuuenili q̄ senili, tum tempore tam calido quàm frigido æquè inesse illi demonstrabo. Atq; signa etiam afferam, & necessitates adducam, propter quas quodq; augetur marcescitq; in corpore.

¶ Recipit omni se tempore elementa, quæ ipse ponit, in corpore contineri ostensurum, pro ætatibus & temporibus incremētum & marcorem, id est, imminutionem habentia. Pro lege igitur est, quod homines putāt & arbitrantur, quam loquēdi rationem ueteres Græci usurpare consueuerunt. Sic pro natura, hoc est, pro ipsa rerum ueritate. Marcor. Pro lege. Pro natura.

PRimum itaq; necessùm est generationem eius nō processisse ab uno. Quónam enim pacto, quod unū est, generare aliud posset, nisi quid admisceatur?

¶ Atqui HIPPOCRATES semper clarissime apparētia sequitur, quocirca nūc dicit: nihil ab uno generari, nisi aliud accedat externū, qđ tēperamenti symmetria cū eo cōueniat. Quidā uero Philosophi, qui Physici appellātur, placitū, nescio quo pacto, nouū & absurdū sciscere sustinuerūt, qđ naturalē speculationē uniuersam euertit. Nā qui unū dicit esse uniuersum, oratione ista Nihil ab uno gn̄ar.

omnem

omnẽ tollit generationẽ. Si nãq; unũ est quod natũ est, non erat ante, ut neq; paulo post erit. Neq; enim Thales, neq; Melissus, neq; Heracleitus aut ante erant, aut nunc sunt. Recte ergo hos uiros nõ fuisse dicas: an uero fuerũt, annosq; non paucos quisq; eorum uixit: quo autem tempore uiuerent, non erant? an quod essent illo tempore illi, admittemus: eos uero qui erãt nõ esse dicimus, cum essent? Atqui si esse eos fatearis, fateberis quoque natos fuisse. Age uero platanus, & lapis, leoq; nonne olim generationẽ habebant & interitum?

Generatio. Quod si est eius, quod prius non erat, generatio: non potuit ea ex quadam subiecta substantia non esse generata: quam nõ posse sua sponte solam quicquam generare uidemus. Plantarum quidem semina, ut queant aliquid generare, externum postulant humorem, ac calorem moderatum. Quod si ad generandum esset semen natum citra ullam externam opem, non differret generationẽ ne in paucos quidem dies, quin euestigio expullularet. Imo uero plæraq; semina, non iam menses, sed annos etiã haud raro commorari cernis. Nõ enim ex seipsis tantum obtinent, ut generent, cæterum externum desyderant auxilium: quod non hactenus suo munere defungitur, si solum simpliciter attingat: sed cum tangentis uires in id, quod tangitur, permeant totum. Iam si in fœturis alterari prorsus semen in arboribus, herbis & cunctis plantis uidetur: multo apertius in animantibus perspicitur, nihil ex masculo solo, aut fœmella, si absit coitus, posse quicq̃ generari.

Quæ miscẽtur in gñatiõe, debẽt quãdã habere naturæ cõueniẽtiã.

TVm nec quæ miscentur, generant: nisi sint eiusdem generis, eandemq; habeãt facultatem. neq; similia nobis efficiantur.

¶ Non tantum ex uno nihil generari dicit posse, sed ne

ne e duobus quidem, nisi cognata sint, hoc est, substãtia sint coniuncta, quae miscentur. Quod plane in animalium diuersarum naturarum genitura cernitur. Verbi gratia, in equis & asinis, uulpibus & canibus. Generatur ex horum coitu mixtum uidelicet ex ambobus animal. Quorũ uero natura a se mutuo magno distat interuallo, licet coeant aliquando, non tamen generare quicquã possunt. Quod porro ad finem est huius clausulae adiectum: Neq; similia nobis efficiantur, huius libri interpretes quasi apertũ praeterierũt, cũ sit obscurum, aut incongrue a scriptore praecedẽtibus coaptatum, aut a librarijs praue descriptum. Sed quod mihi significare uidetur uelle, id est: Si etiam animal quod cum eo, qui cum coit, in genere nõ cõueniat, quandam eis tamen naturae dicit cõmunionem esse: neq; similia nobis efficiantur, hoc est, si uel genitura ex hoc coitu fiat, animal ijs, quae se generarunt, simile non efficitur. Potuit etiam haec clausula non ita fuisse scripta: Neq; similia nobis efficiantur.

Neq; similia nobis efficiantur.

RVrsus nisi calidum frigido, & siccũ humido, modo & aequalitate respondeat, sed alteri alterum longè praestabit, & ualentius infirmiori, nulla poterit genitura fieri.

¶ Superius dixit nullius posse naturalem generationẽ effici, nisi sint coeuntia eiusdẽ generis. at uero nec horum coitus genere inter se cõuenientium generat necessario. Hanc autem disputationẽ integre in Aphorismis expediuit, ubi ait. Quaecunq; frigidos habent & spissos uteros, non concipiunt. Et quaecunq; praehumidos habent uteros, non concipiunt. nam extinguitur semen. Et quicunq; sicciores calidioresq;. nam alimẽti

Quibus de causis steriles fiãt mulieres.

» difficultate corrũpitur semen. At quæcunq; ex utrisq;
» mediocrē habent temperaturã, hæ fœcundæ sunt. His uerbis docet quibus de causis steriles fiunt mulieres. Ostendit etiam id quod huic est annexum: de quo cũ nos alias, tum alij ante nos frequenter scripserunt. Plato etiam meminit, non mediocrem artem esse dicens, qua uiros & fœminas temperamento inter se conuenienteis coniungere scias. Nam de uteri temperamentis quæ dixit, hæc æque de seminis temperamento intelligi debent: utpote quod nunc iusto est humidius, aut frigidius: nunc siccius, uel feruentius. Est autem utero sicciori familiare humidius semē, humidiori siccius: æque ut calidiori frigidius, frigidiori calidius. Sed de his plenius in libro de ratione puerorum procreandorum tractamus. In præsentiarum satis sit didicisse, nihil generari ex uno posse: adeo ne e duobus quidem, aut pluribus coeuntibus cum fiat, ni mutua inter ipsa familiaritas sit, & temperamētorum aliqua ex coeuntibus tēperata mediocritas, potest hoc generari.

Cui utero quod cõuenit semen.

PRoinde qui uerisimile est, aliquid ab uno generari, cùm nec à pluribus generantur, nisi mutuo temperamento conueniant?

¶ Alia quæ hic agit, ex superioribus patent. Oportet uero nomen quod hic usurpat temperamenti, quod κρᾶσιος appellat nomine, memoria tenere: quod omnium, quorum memoria ad nos peruenit, primus HIPPOCRATIS commisceri elementa docuit: ut paulo ante uisum est. Atq; hæc res illi non conuenit cum Empedocle, qui non alijs atq; HIPPOCRATES ex elementis ait nos esse natos, & corpora alia omnia, quæ super terram sunt: non commixtis tamen inter sese, sed per paruas parteis cõpactis, & sese tangentibus. Sed quod

Hippocrates primus elemēta dixit cõmisceri.

Elementa quæ posuit Empedocles.

hæc sententia ijsdem argumentis conuincatur, ac illæ, quæ ex insensilibus & impatibilibus primis corporibus sensile generant corpus, in cōmentarijs de elementis secundum HIPPOCRATEM ostēdimus. Quo loco omnia prope dixerim naturalia placita, quæ de primis elementis extiterunt, attigimus.

CVm igitur natura eiusmodi sit, cū omnium reliquarū rerū, tū etiā hominis, necesse est hominē nō una re cōstare, sed unūquodq; eorū, quæ ad generationē quicquā faciūt, talē uim in corpore possidere, qualem contribuit.

Nō solum homo, sed omnia etiā reliqua ex quatuor elemētis cōstāt.

¶ Docuit nuper HIPPOCRATES, nisi calidum frigido, & siccum humido modice admisceatur, generabilium corporum generationem fieri non posse. Nunc uero docet, uel omnibus corporibus quæ generantur & intereunt, nedum hominibus ex ijsdem generationē suppeditare: Et quia ex calido & frigido, siccoq;, & humido producta cūcta sunt, iccirco hæc omniū esse communia elementa. Iam humanæ naturæ peculiaria elementa sunt sanguis, pituita, bilis tum flaua, tum atra, quæ tamen ei non recte priuata esse dixeris, cū omnibus sint communia sanguine præditis animalibus. Clarum autem est istorum etiam unūquodq; ex primis his quatuor generatū esse: quæ qualitatum appellatione, humidum, siccum, frigidum, & calidum uocamus. Propria horum substantiæ nomina sunt, ignis, uel aqua, uel aer, uel terra. Nam elementa a qualitatibus simplicibus & immixtis nomina esse mutuata, id latet neminē: cū extrema caliditas in igni insit, sicut in aere humiditas, frigiditas in aqua, summa in terra siccitas una cū cōstrictione & frigore. Qua igitur caussa adducti qdā

Hominis & omniū animalium sanguine præditorū peculiaria elementa sunt sanguis, pituita, & utraq; bilis.

Nõ quæ in corpore nostro apparẽt calida, frigida, sicca, & humida, communia sunt omnium elementa, sed suprema illa, ignis, aer, aqua, & terra.

humidum, siccum, frigidum, & calidũ ab HIPPOCRATE existimãt elementa cõstitui, ut quæ in homine esse animaduertantur: ignẽ autẽ, aquã, aerem, & terram nõ recipi, eo quod in hominis corpore nihil uideamus horum? non intelligentes, quod quæ apparent in corpore calida, frigida, sicca, & humida corporis, sunt oculis subiecti uisibilia elementa: quæ quis esse cõmunia corporũ omnium elemẽta dicat? nemo sane uel infantissimus. posteaquam dixit HIPPOCRATES: Cum eiusmodi igitur sit cum omnium reliquorum, tum hominis natura, qui potest de istis, quæ in hominis corpore apparent, calidis, frigidis, siccis, & humidis illũ nũc agere existimari? imo de quatuor elemẽtis, quæ summas habent, & immixtas qualitates. ex quibus inter se mutuo temperatis omnia fiũt corpora, quæ intra hos terminos sunt, per excellentiam, non proprie calida, frigida, sicca, & humida appellata. Enimuero si quæ iam cõmixta sunt, statuemus elementa: quæ summas qualitates obtinent, ecquid dicemus esse, me præterit. Dilucidius etiam in proxima clausula suam mentem aperit, ad quam nunc transeo.

Homine fato functo, singula elemẽta se ad suã naturã recipiunt.

RVrsus cùm hominis corpus moritur, singula ad suam naturam discedunt, humidũ ad humidum, siccum ad siccum, calidum ad calidum, frigidum ad frigidum.

¶ Homine de uita decedente secerni inquit, ac recipere se ad suam naturam singula elementa prædicta: quæ calidum nominabat, & frigidum, siccumq;, & humidum: nusquam dicens, sanguinem ad mundi sanguinẽ, pituitã ad pituitã, bilẽ ad bilem, arteriam ad arteriã, carnem ad carnem, uenã ad uenam, neruum ad neruum discedere.

discedere, uerum quod in his est singulis calidum, frigidum, humidum, & siccum ad communia omnium elementa se conferre. Nam & neruus quidem ex calido, frigido, sicco, & humido, nempe elementorum cōstat: nō autem ex alio neruo. Sic nec uena ex alia uena. Etenim per se tota misceri hæc, carnem, uenam, os, arteriam, & cæteras parteis mente consequi nequeas. Sed est eius sententia (si quam paulo ante dictorum memoriam habemus) inter se omni ex parte temperari calidum, frigidum, humidum, & siccum. Proinde quæ clare oculis sunt obiectæ in hominis corpore calidæ, frigidæ, siccæ, & humidæ partes, elementa nō sunt humanæ naturæ: sed illa, ex quibus hæ conflatæ sunt & genitæ, aqua nimirum, ignis, aer, & terra: de quibus in libro de elementis secundum HIPPOCRATEM satis multa uerba fecimus.

NEmpe talis est tum animantium, tum cæterarum omnium rerum natura.

¶ Eiusmodi inquit, est non hominis solum, uerū etiam omium aliorum natura, ex calido scilicet, frigido, sicco, & humido simplicium & extremorū temperata. Quæ enim in medio sunt omnia, ex his suum temperamentum consequuta sunt. Nonne ergo ab omni est ratione alienum dicere, ex medio ea quæ in medio sunt, temperari? quod isti nō se assequuntur dicere, qui ex ijs quæ in corpore conspiciūtur humidis, siccis, calidis, & frigidis nostram naturam contendunt constitui. Iam multo absurdius erit, si & aliorum quoq; cunctorum animalium, & stirpium naturam esse ex his affirmabimus. HIPPOCRATES sane hic aperte ait, etiam omnibus alijs esse huiusmodi naturam. isti uero quid dicent, non reperio. Nam si coniectum in terram semen fici pro-

Ficus ex quatuor elemẽtis constat.

cera forte arbor fiat: insani est, non ex terra & aqua, sed aliunde eam dicere hãc naturã inuenisse. At enim terra sua natura extreme frigida est: multum autem habet caloris ficus, quæ eã conseruat, quominus, cum per atroces brumas refrigeratur, demoriatur. Constat ergo aquam tantum, & terram fici corpus iam constituisse: quin igneæ etiam naturæ non est expers. Nec iam hoc obscurum est, quod & naturæ aereæ sit particeps, quãdo lignum eius manifeste nõ solum terra est, sed aqua leuius. Constat ergo ex illis quatuor ficus. Quod si hæc, & eius certe fructus. Sic itẽ fructus uniuersi. Sunt porro triticũ, hordeum, fabæ, & reliqua leguminum semina, fructuũ partes, atque iccirco ex quatuor illis conflata, terra, igni, aqua, & aere. Quia uero ex fructuum & plãtarum esu, qui in nobis sunt, humores proueniũt, profecto etiam hi primum principium habebunt generationis aquam, terram, aerem, & ignẽ. Sed ut dixi, satis hæc in libro de elementis secundum HIPPOCRATEM sunt demonstrata: itaque ad aliam clausulam descendamus.

Omneis fructus ex quatuor elemẽtis sunt.

OMnia similiter generantur, similiterque intereunt omnia.

¶ Ne si diuinaret quidem quisquã non defuturos, qui se nõ recte assequuturi sint, toties eãdem sentẽtiã pronũciet, uti nũc fecit HIPPOCRATES: omnia dicẽs, nedum hominẽ similiter & nasci & interire: ex quatuor, ut est declaratũ, elemẽtis, & nõ ex corporis partibus calidis, uel frigidis, uel siccis, uel humidis. At adeo quidam ad Græcam orationem stupent, ut quod in corpore humano calidum, frigidum, siccum, & humidum a sensu cognoscitur, omnium putẽt generationis esse communia elementa.

 Ex

EX his enim,quæ præ diximus,omnibus eorum natura conſtat, deſinitq́ꝫ,ut prædictũ eſt,in idipſum : & unde eſt conflatũ,illuc quoqꝫ ſeſe recipit unumquodqꝫ.

¶ Cõſtat in ſuo placito,omnium naturam ex quatuor, quorum meminimus,conſtitui,in eaqꝫ deſinere cõfirmans. Vnde enim unaquæqꝫ,inquit,res conſtat,eodem etiam refert ſe,in communia nimirum Mundi elemẽta,terram,aquam,aerem,& ignem. Proinde nihil minus quam HIPPOCRATIS ſenſum,& quod primo eſt dictum,aſſequuntur. Neqꝫ enim prorſus aerem dico eſſe hominem,neqꝫ aquam,aut ignem,aut terram, qui illud pro nulla ex parte capiunt. Liquet enim hoc dicere HIPPOCRATEM nolle,communia elementa nulla ex parte in corpore humano eſſe,ſed reprehẽdere iſtos,qui unum de illis ſolum aſſerunt.

CORpus autem humanum continet ſanguinem,pituitam,& bilem duplicem,tam flauam quàm amarã.Et hæc illi ſunt natura corporis.& propter hæc ægrotat & ualet.

De peculiaribus elemẽtis animantiũ corpore præditorũ.

¶ Expedito de cõmunibus elemẽtis ſermone,his uerbis ad corporũ ſanguine præditorũ,in quibus eſt homo,elementa orationẽ cõuertit.Nã ex ſanguine,pituita,& duplici bili,flaua & atra primã oriri noſtrã generationẽ uult,& noſtræ uitæ totũ curſum ex his ſuppetere,hæc deniqꝫ uniuerſam hominis naturã eſſe. Nam humores cõtinentur in ſolidis partibus. Ipſæ autẽ ſolidæ in fœtus prima formatione ex his generãtur.Omnes enim parteis ex mẽſtruo ſanguine,nõ illo quidem ſyncero,ſed duplicis participe bilis & pituitæ, factæ ſunt:

Solidæ corporis pteis ex mẽſtruo ſunt ſanguine gñatæ.

sunt: id quod nō lōgo post interuallo docebit: Insuper ex his etiā sanitatē nobis, dolorē, & morbos cōtingere, quo hæc fiunt modo, sequenti clausula docet.

VAlet quidem præcipuè, cùm ea inter se facultatem & copiam mediocriter habeant temperatas, & potissimum si permixta sint.

¶ Omnium Medicorum pariter & Philosophorum, qui plane rationi insistunt, cōsensu, sanitatem efficit elementorum symmetria. Cæterum cum sit duplex in genere apud sectas ratione nitentes institutio elemētorum: altera appositione, & primorum corporū complexu generationem compositorum fieri: altera, temperatura decernit. Prima itaq; symmetriam, pororum cōstitutione metitur: altera ratione bonæ elementorum temperiei nos degere salubriter statuit: cuius est sententiæ princeps HIPPOCRATES. Atqui cū duplex symmetria sit, hæcq; in facultate eorū quæ miscētur, illa in quantitate consistat essentiæ: utranq; attigit HIPPOCRATES, dixit enim, & facultate, & copia. Quod in exitu clausulæ dictum est (& potissimum si permixta sint) absolutam illorū omni ex parte mixturam declarat. Nam ad corporis statū undequaq; inculpatissimum, nō modo quatuor commoderatio elementorum, uerum etiā eorum inter se mixtura requiritur absolutissima. In tēperamētis uero corporis culpatioribus, est cū in aliqua parte nō æque, aut similiter, aut inter se prorsus commisceātur humores. sed ubi haud dum actionis est illustris offensio, est illa quidē culpanda sanitas, nondum morbus tamen.

Duplex elemētorū institutio apud eos qui rationē sequuntur.

Symmetria duplex

In sanitate absoluta requiritur humorū commixtio.

COntrà laborat, cùm eorum quicquam fuerit amplius minúsue iusto, aut in corpore

secretum

secretũ fuerit,neq; cum omnibus confusum.

¶Vt in sanitate exactã symmetriã in quantitate & facultate,mixturaq; per tota collocabat. Ita in morbo cõtraria horum ponit, atq; minus scilicet aut amplius ad quantitatẽ substãtiæ & facultatẽ retulit.& cũ omnibus non esse cõfusum,ad intemperiẽ,aut temperamenti inæqualitatem,aut quocũq; nomine appelles.

NEcesse est enim,cùm horum quicquam separatũ sit,& per se stet,nõ solũ ex quo excessit,locum morbo affici : sed etiã illum,ubi iã constiterit & influxerit,nimium affluentem,dolorem & laborem parere.

¶Vbi quispiam de quatuor humoribus solus aliqua in parte restiterit ab alijs semotus,neq; sit cum illis per totos totus cõmixtus,dolet animal : utraq; iam parte, & unde decessit,& ad quã se cõtulit,intẽperiei obnoxia. Id quod humoribus ualidarũ uiriũ potissimũ usu uenit. Hi enim non quãtitate tantũ parti, in quã inuaserũt,graueis sunt,sed & qualitate dolorẽ excitant, dum magnopere aut calfaciunt,aut refrigerant.

ET enim ubi horũ quicquam de corpore effluit ultrà supnatãs,dolorẽ adfert uacuatio.

¶Pro abundante intellige nũc dictũ supernatans,aut si mauis,id quod nõ est cũ cæteris omnibus cõmixtũ, supernatans, puta appellatũ. Vtrũq; enim est probabile. Supernatãs

SIn autẽ intrò uacuet,aut locum mutet,aut se se ab alijs secernat, duplicem sanè necessariò

præbebit dolorẽ, ut dictũ eſt: nẽpe unde abſceſſerit, ac ubi exuperat.

¶ Hoc eſſe prædictum, ipſe ſuis his uerbis declarat. nã uerbis, non facultate, ab hac nunc recitata diſtat illa nuperrime ab eo ſcripta oratio, ubi ait. Neceſſe eſt enim
» cũ horũ quicquam ſeparatum ſit, & per ſe ſtet, nõ ſolũ,
» ex quo exceſsit, locũ morbo affici: ſed etiam ubi iam
» conſtiterit & influxerit, nimium affluentem, dolorem
» & laborem parere. Rurſus cum dicit. Quæ uero ho
» minem ego eſſe dixero, ea demonſtrabo ſemper ineſſe
» pro lege & natura. Pro lege ait, hominum uolens opinionẽ, quæ ijs eſt de his, ſignificare. Pro natura, ipſam rerum ueritatem. Quare ſequẽtia uerba attendamus, quo uideamus: num id quod receperat ab initio libri, nunc præſtet.

DIco autem ſanguinem eſſe, pituitam, & bilem tam flauam q̃ atram. Atq; horũ nomina primùm quidem ex lege diſtincta eſſe cõfirmo, & nulli eorum idem nomẽ inditum eſſe. Deinde naturaliter formas diſcrepare, minimeq; pituitam ſimilem eſſe ſanguini, aut ſanguinem bili, aut bilem pituitæ. Quónam enim pacto inter ſe poſſent ſimilia eſſe, cũ neq; ad uiſum colore, neque ad tactum eſſe ſimilia cognoſcãtur? neq; enim æquè calida, frigida, ſicca, & humida ſunt.

¶ Cum aperta eſt eius omnis oratio, tum quod inſtituerat, demonſtrat. Nam hic quatuor humores in corpore ineſſe inter ſeſe diuerſos oſtendit. Sub hæc, naturaliter omneis hos eſſe quatuor, non eorum unũ. Ve-

rum in sermone nunc proposito nobis differre humores mutuo, colore, constitutione, calore, & frigiditate dicit. Et sane sic hæc se habere uidentur. Fortassis autem offendit quosdã, cũ humidi sint humores omneis, siccitate distare ab humore humorẽ. Qui eadem opera negent oportet, nec humiditate eos differre, si quidem humidiorem alium alio esse fatemur: quod certe omnibus humoribus accidere uidemus. Etenim flaua bilis sæpius euadit admodum humida: & est eius tum non flauus, sed color pallidus. Haud raro crassa fit, & uitellis ouorum adsimilis. Vnde & nomen, ut Vitellina appelletur, apud non nullos inuenit. At atra bilis, pallida & flaua semper est crassior. Immo illa seipsa multis modis est uel crassior, uel fluidior. Eadem sanguinis ratio est: qui eatenus interim est humidus, ut fluat: interim abunde crassus. Pituitæ eandem caussam esse, ac prædictis humoribus uideas. Variatur enim in crassitudine & tenuitate, atq; nunc aquea est, nunc crassa, ut puris imaginem referat. Habent hoc humores, ut quæ reuera elementa non sint, sicut aqua, terra, aer, & ignis. Nam istorum quilibet ex quatuor his, alio in alio eorum præpollente, oriundus est: ut iam sæpe audiuistis.

Humores siccitate inter se differunt.

Diuersitas flauæ bilis.

Atra bilis

Sanguinis differentiæ

Pituitæ differentiæ.

Ergo quando tantum inter se, & forma, & facultate differũt, necesse est ea nõ esse unũ, nisi certè ignis & aqua unum sunt.

¶ Erat illorum quidem absurda sententia, qui unũesse crederent hominẽ: uidetur tamẽ in eã HIPPOCRATES cõsulto disputare. Erãt etenim fortassis eius memoria uiri clari, qui istud placitũ sustinebãt. Nã quandoquidẽ ueterũ plurima scripta desyderãtur, multo est ꝓbabilius, placita literis nõ mãdata itercidisse, idq; adeo

Socrates, Pythagoras, Contus nullos scripserunt libros.

cum sint, qui nulla reliquerint scripta, ut Socrates & Pythagoras: & ex illustribus nostræ memoriæ Medicis Contus. Quo magis multos, dum superstites essent, illustres fuisse adducor, quorũ cum interitu, una præceptorum existimatio perdita sit. Cumq; Plato tot reliquerit libros, attamen præter literis prodita, alia esse eius scita autumant eius discipuli, quæ non retulit in scripta. Vt autem discipulis placita esse literis non testata affirmantibus fidem habemus: ita fuisse, qui unã terram omnium esse cõmune elementum, hominis autem bilem, uel pituitam dicerent, HIPPOCRATI credimus. Equidem quosdam hac quoq; tempestate alia scribentes noui, quorum lucubrationes, partim una cũ scriptoribus iam interierunt, partim nõ multo post cũ ijs interibunt. De qua natione ille est, qui terram ait omnium matrem, omnium esse & nutricem, originem & elementum. Atq; hanc etiam Cœlum genuisse (ut ait Hesiodns) & quæ in ea degũt animalia. Et ex Archigenis assectis homo minime malus inductus erat, neq; in inspirationibus in corpus ingredi aerem, neq; egredi in expirationibus. Alius præterea elementalem humorem uolebat pituitam esse. Itaq; desinamus illorum nomina inuestigare, qui inepta ista decreta primi tulerunt. Nam quod Thales elementum solã aquã statuit esse, ex ipsius libris commonstrare nõ ualemus, at de hoc tamen nemo ambigit.

Platonis multa placita sunt literis nõ mãdata.

Hesiodus in Theogonia terram ait omniũ matrẽ esse.

QVòd ea omnia unum nõ sint, sed suam habeat unũquodq; peculiarem & facultatẽ, & naturã, uel hac re tibi maximè constare possit. Si enim cui homini medicamentum exhibeas, quod pituitam ducit, euometur pituita tibi. Sin medicamentum offeras, quod bilem agit,

agit, uomet tibi bilem. Pari modo bilem purgat atram, si potionem des, quod mouet atram bilem. Quòd si is aliqua corporis parte uulnus accipiat, illa ei sanguinabit. Atq; hæc tibi faciet omnia semper, tam interdiu quàm noctu, hyeme & æstate, dum in se homo attrahere spiritum, & uicissim dimittere ualeat: dum aliquo priuetur cognatorũ: Atqui cognata sunt quæ diximus. quæ qui esse cognata infirmabit? primùm clarè apparet, hominẽ dum uiuit, ea omnia in se semper habere. Deinde uerò natũ esse ex homine, præterea nutritum in homine eadẽ omnia habente, quæ ego dico atq; demonstro.

¶ Superius aperte simul & uere hominem omnia in se continere, biles, pituitam, & sanguinem ostendit. Nunc non illud tantum, sed etiam ita esse natura comparatum declarat: non ut aliqui dicunt, unum de illis. Omnino alia placita eorum qui humorem unum naturaliter in corpore esse contendunt, facile conuelli possunt. Illorum uero sententia, qui sanguinem esse uolunt, non est repudianda: sed ut conuincatur, magnæ est contentionis. Sed tempus est, ut de his agere instituamus, initiumq; a uerbis eius superius factis, faciamus. Dicit autem sic.

CAeterum mea quidem opinione, qui hominem sanguinẽ, & nullam aliã rem esse censet, is deberet demonstrare eum non mutare formam, aut omnimodum fieri, aut saltẽ aliquod anni tempus, aut hominis ætatẽ ostendere: qua

ſanguis ſolus appareat eſſe in homine. Veriſimile nãq; eſt, eſſe aliquod certè tempus,quo id unum in eo eſſe appareat.

¶ Quod ſi huic diſputationi id quod nunc demonſtrat adiungas,dogma HIPPOCRATIS omnibus ſuis numeris abſolueris. qui hic oſtendit nullum anni eſſe tẽpus nec ætatem,qua aliorum humorum expertẽ poſſis hominem demonſtrare.Immo etiam per purgationes.Si nãq; medicamentum cui,quod aut bilem,aut pituitam ducit,exhibeas : id cui ciendo eſt,uacuare cernes : id quod perpetuo omneis contineri humores in corpore ſigno eſt.Huic argumento intercedunt quidam,nõ concedentes medicamentum purgans ex corpore familiarem humorem trahere,ſed in quam comparatum eſt,cõuertere formam.Hos uero falli,peculiari commentario nos,quem de purgantium facultate medicamentorum inſcripſimus,planum fecimus : Sed nõ committã,quin hoc loco exẽpli gratia unũ ex dictis in eo libro referã.In ipſis artis operibus ſæpenumero cõſpexiſtis detectos,qui,quod uacuatur,a purgãtibus medicamẽtis trahi nõ addmittũt.Nã quia qua illa intercutẽ quã uocãt Aſciten,laborãt,aquã ducente accepto medicamẽto,uacuatur aquoſæ humiditatis nõ parua copia,ſubſidetq; his uẽtris tumor. Quibus ſi medicamẽtum flauã aut atram bilem mouẽs exhibeas,cum paucum ſane humorem uacuet,tum uẽtris eis moles tantũ abeſt ut reſideat,ut intumeſcat etiam amplius. Ediuerſo euenire morbo Regio propter obſtructionem iocinoris affectis,uidiſtis.aperto enim ante uiſcere medicamẽtis ea ui præditis,ſi medicamẽtum deinde,quod bili ciendæ eſt detur,plurimum ſuperflui humoris uacuatur , & laborans e ueſtigio ab affectu uindicatur. His proportione ſcitis reſpondere, quos pituita, aut

atra

atra bilis sollicitat. Plurimum siquidem molesti uacuatur humoris, laborãtes autẽ maximũ commodum percipiunt. Quare si trahũtur ex his qui purgantur, talia: medicamẽta uero omni ætate & tempore purgãt, semper sunt in hominis corpore quatuor humores. Par erat enim, ut est ante dictum, unum certe anni tempus, aut ætatis hominis habẽs sanguinem solum ostẽdere: modo esse uerum eorum placitum ponatur, qui sanguinem solum humanam esse naturam astruunt, hoc perinde est, ac ex sanguine solo fictas omneis esse eius partes, soloq; sanguine semper ali. Sanguis iam cum bifariam dicatur: tum hic, quem in uenarum sectione & uulneribus euacuari uidemus, utriusq; bilis & pituitæ, ut docuimus, participem: tum purus ille & integer, alijs humoribus non confusus. Ex sanguine secundum priorem significationem formari fœtum fortasse uerum sit: ex sanguine secundum secundam, non item. Nunquam enim solus ille in prægnantibus est. Quid autem sermoni fortasse adiecerim, non esse obscurum uobis arbitror. In commentarijs enim de semine, corporis pleraſq; partes ex semine apertum est fieri, cum solæ carneæ ex sanguine formentur. At quatenus seminis parua est in uterum deiecta moles, nutrit autem istud & auget sanguis, hactenus corporis partes prope omneis ex sanguine fingi dixeris. pro eo uero quod ex sanguine semen suam generationem consequutum est, qui ex sanguine fœtũ generari dixerit, rem ipsam dicere uidebitur. at non ex mero quidem sanguine, & aliorũ experte humorũ, sed ex eo, qui secũdum excellẽtiã nomen est sortitus. Habes omnẽ præsentis orationis sententiã: cognosce iam singula in ea dicta. Primum faciundum mihi est, ut commune non tantum Medicornm, sed omnium etiam Græcorum institutum aperiã, qui bilem sine adiuncto, cum

Sãguis bifariã accipit.

Bilis.

cum pallidam significare, aut flauam uolunt, nominant. Atq; quod hæc ambo nomina in una humoris specie usurpantur humiditate & siccitate differentis, dudum diximus. Reliquas quasuis biles non sine appendice proferunt, æruginosam appellantes, aut atram, uel rubram, uel porraceam. Ad hæc, alterum est in loco, quē nunc in manibus habemus, interpretandum: cum ait. Dum in se spiritū attrahere, & uicissim dimittere ualeat. Palam enim est, uelle eum inspirationem trahētibus respiratorijs instrumentis externum aerem administrari, & dimittentibus, expirationem. Superest tertium, cum ait: Dum aliquo priuetur cognatorum. Vult enim non modo, ubi sanguine priuatur, uerum etiam ubi uel pituita, uel bili, tam flaua q̄ atra, mortem adferri animanti.

QVi autem unum esse hominem putant, hi mihi propterea in hanc opinionem uenire uidentur, quòd ex ijs qui epotis medicamentis in immodicis purgationibus animam egerint, hos bilem, illos pituitam euomere cōspicati, putauerunt hominem eorū singuli illud esse, quod per purgamenta morientem reijcere cōspexissent, Eadem nitūtur ratione, qui hominē dicūt esse sanguinem, quoniam cruorem, qui sibi ob oculos ex iugulatis hominibus manans ponitur, animam esse hominis putāt. Hæc sunt, quibus omnes isti utuntur in suis disputationibus, argumenta.

¶ Qui dicunt, inquit, quod unum sit homo: perinde quasi multi dicerent, non unus. Quibus igitur sunt

adducti

adducti argumentis, qui ex quatuor humoribus unum aliquem generãdo homini putarunt sufficere, ipse cõmemorat HIPPOCRATES, quæ apud nos, ut ait, leuia sunt, illis ea probantur. Nam in immodicis purgationibus alium alius alio atq; alio prorsus euacuato humore mori uidentes, unum humorẽ illum hominis esse naturam putauerunt.

TAmetsi primùm quidẽ in immodicis purgationibus nullus dũ mortuus est quisquã, cui fuit sola bilis purgata. Sed sumpto medicamento quod bili mouendæ est, primùm bilem, mox pituitam, inde atram bilem & quidem per uim, tum demũ sanguinẽ etiã euomunt purum.

¶Hic iterum consuetudinem Græcorum commemorat, bilem sæpe appellantiũ sine adiuncto, flauam: atrã uero, sine adiuncto nunq̃. Totius uero huius sententia orationis aperta est: mori dicit uno tantum expurgato humore neminem. semper enim una alios cum illo humores effundi.

EAdem accidunt his, qui sumũt potiones pituitam mouentes. Primùm enim pituitam, deinde bilem flauam, postea atrã, postremò sanguinem purum euomunt, deinde moriuntur.

¶Euacuatum humorem, qui medicamento purgãti familiaris est, mox cõsequitur primus, q uacuatur præter alios facillime. Sub hunc, qui in hoc genere secundum ordinem est sortitus. Deinde omniũ nouissimus sanguis: pro eo quod familiarissimus naturæ humor est. de quo istud quidem libere dixerim, si solus quidẽ non est hominis natura, omnium certe aliorum est familiarissimus.

NAm medicamẽtum, cùm corpus intrarit, primò id quod sibi omniũ maximè ex ijs quæ in corpore insunt, natura cognatũ est, agit: inde reliqua trahit & purgat, quemadmodum stirpes & semina, ubi sint terrã ingressa, id quod in terra inest, suæ naturæ accommodatum, singula attrahunt, acidum, dulce, amarum, salsum, & omnimodum. Imprimis igitur ex eo plurimum, quod sibi naturali propinquitate maximè coniunctum est, alliciunt. tum cætera deinceps attrahunt. Haud secus medicamenta faciunt in corpore. Etenim quæcunque bilem ducunt, primùm meracissimam bilem purgant, deinde mixtam. Pituitæ item medicamenta, primùm meracissimam pituitam cient, postea mixtã. Et iugłatis sanguis fluit primò quidem feruentissimus, atque rubidissimus, mox fluit pituitosior ac biliosior.

Plãtæ ad se trahunt, quod suæ naturæ familiarissimum est.

¶ Clara hæc sunt HIPPOCRATIS uerba, testimonia superioris orationis scribentis, ubi dixit. Medicamẽtũ postq̃ in corpus assumptum sit, primũ trahere humorẽ sibi familiarem, deinde etiam alios. Nec prætereũdæ nobis plantæ sunt, quas ait itidem ad se trahere, unam quãque id quod naturæ suæ est amicum. cõtinere nãque in se terram, acidum, dulce, amarũ, salsum, & omnimodum. Quemadmodum etiam hominem: acidum, atrã bilem: amarum, flauam: dulce, sanguinem: salsum, pituitã. est enim eiusmodi quædã pituita: ut dulcis alia, & alia acida. tametsi alia est, quæ nullã habet insignẽ qualitatem. Ideoque adiecisse mihi ad exitum orationis uidetur,

uidetur, & omnimodũ. Non modo pituitæ tantum differentiarum numerum uideas, sed & cæterorum humorum. Nam ut acidum, dulce, amarum, & salsum, ita acerbũ, austerum, acre, & pingue humorꝵ species sunt, & in animalibus, & plãtis; atq; eadẽ ratione in terra. Omnimodum.

HYeme increscit in homine pituita: quòd hæc præcipuè, ex ijs quæ in corpore insunt, huic tẽpori cõueniat: frigidissima enim est. Huic rei, scilicet pituitam esse frigidissimam, est argumẽto: si pituitam, bilem, & sanguinem tãgere libeat, pituitam profectò omniũ frigidissimam reperias, etsi sit lentissima, ac nõ nisi summa ui post atrã bilem ducatur. Quæ enim per uim trahuntur, hæc propter uiolentiam feruẽtiora redduntur. Sed tamen ad hæc omnia pituita suapte natura multo frigidissima apparet. Quòd autem hyems corpus pituita impleat, tibi his uestigijs patebit: spuunt homines, & emungũt hyeme pituitosissima: atq; œdemata alba ijs potissimum hoc tempore generãtur, alijq; morbi pituitosi. Pituita crescit hyeme.

¶ Manifesta est hæc oratio, lectorem desyderans attẽtum, non interpretem ipsam declarantem. Porro ad finem est adscriptum, alijq; morbi pituosi. Ergo ex eiusdem scriptura, orationis hic sensus elicitur. Oedemata alba fere oriuntur hyeme. Etenim alij quoq; pituitosi morbi hac tẽpestate uigẽt, ut sunt scilicet omnino febres æstate biliosiores, ita hyeme pituitosiores.

Sãguis crescit Vere.

VEre autem pituita in corpore adhuc ualida manet, & sanguis crescit. tunc enim frigora remittuntur, & pluuiæ succedunt: Itaq; tum ex imbribus, & diei quoq; calore sanguis augetur. cuius naturæ id anni tempus, quoniam humidum est & calidum, maximè accommodatum est. Cuius rei indicium est: quòd homines uerno, æstiuoq; tempore potissimùm torminibus corripiũtur, ac sanguis de naribus fluit, & calidissimi sunt atq; rubidissimi.

Cur philosophi quidã Ver calidum & humidũ dixerint.

Indicia, q uere sãguis abundet.

Quare Aestiuũ tẽpus cõiunxerit Veri.

¶Locus hic planus est. Dictum autem est primo de temperamentis libro, rectius temperatum uer, quã humidũ & calidũ dici. Suberat tamẽ caussa, cur calidũ & humidũ dicere uer nonnulli Philosophi sunt inducti. Sic enim in tẽporibus anni hoc dicũt esse humidum & calidũ, ut in genere corpore præditorũ, animalia: hæc cum plantis conferẽtes: uer autẽ cum autumno, optimũ inter tempora anni, & solũ, ut ita dicã, prorsus naturaliter affectũ, illi quod præter naturã cõstitutũ est. Abundare autẽ uere sanguinẽ, præter alia, hoc argumẽto est, quod tũ tormina uigeant, quæ cruẽta appellant: nõ hæc quæ ob bilẽ uellicant intestina. De cruẽtis his torminibus quarto in librũ de articulis cõmẽtario uerba feci, declarans hunc affectum fere nasci uenis sanguine affluẽtibus, qui affatim deinde a natura per intestina excernitur, ita ut per uterũ mulieribus: quibusdam per nares, aut hæmorrhoides, aut uomitus. Coniũxit autem cum uere æstatẽ torminũ ratione, atq; ob ruborẽ coloris. Nam Vere genitus sanguis ex suo calore rubrũ colorẽ uniuerso corpori inducit, perq; sedẽ nonnullis excernitur. Calorem porro, si tangas eos,

iam

iam tū præ se ferunt homines.cuius caussa est sanguis, atq; adeo circundans nos aer.

AEstate uerò adhuc sanguis uiget, sed bilis suppullulat accrescitq́;, & ad autumnum usq; pertinet. Autumno sanguis imminuitur: quia eius naturæ istud tempus contrarium est. Bilis æstiuo simul & autumnali tempore corpus tenet: quod hinc discas: Homines hac tempestate, & sponte sua bilem uomunt, & per medicamentorum potiones biliosissimis purgantur. quod item ex febribus, & hominū quibusdam coloribus patet. Pituita æstiuo tempore multò quàm ante est imbecillior. nam hoc tempus eius naturæ ob calorem siccitatemq́; uehementer aduersatur.

Bilis æstate crescit, & pituita minuitur.

¶ Aestate atq; potissimū initio eius copiosus est Vere auctus sanguis, ut qui ab ambiente calore nondum est discussus. Increscit autem bilis, eo quod in præsenti præter naturam excalfiat corpus. Hic rursus bilem nō apposito coloris nomine, flauam appellat: nunq̄ atram hac simplici appellatione nuncupās, cæterum indicato coloris nomine. At singula uerborū HIPPOCRATIS capita animum aduertentibus clara sunt.

AVtumno sanguis paucissimus efficitur in homine. quoniā autumnus siccus est, & hominem iam refrigerare incipit. sed atra bilis autūno q̄ plurima est & potentissima.

Atra bilis autumno crescit, & sanguis minuitur.

¶ Superiori oratione sanguinē dictum est autūno im-

minui : quod eius naturæ ſit aduerſarius,nos,qui aduerſarius ſit,expoſuimus.Si enim ſimiliter atq; uer,calidus ſanguis & humidus eſt : autumnus autem(ut ipſe dixit)ſiccus,& hominem refrigerare incipit : contrarius merito eſt Veri Autumnus,ac humorem ſanguini contrarium habet redundantem,ſiccum & frigidũ. qui optimo iure eiuſmodi euaſit,propterea quod ante humores deuſti erant æſtate.iam quod ex deuſtis illis reliquum eſt,reſtincto quidē calore,frigidum ſiccũq; redditur : frigidum, ob calorem extinctum : ſiccum, quod eius omnis,dum aſſaretur, ſit cōſumptus humor.

Pituita hyeme creſcit, & bilis imminuitur.

INeunte hyeme bilis,quia iam refrigeratur, imminuitur,& pituita de integro augetur,tũ à frequētibus pluuijs,tum noctiũ longitudine.

¶ Dominantem ſingulis ex quatuor temporibus humorem temperamento uult ipſi tempori eſſe ſimilem. Vnde fit,ut frigida & humida appelletur pituita iuxta ac hyems.& calidus humiduſq; ſanguis,ut uer : calidã & ſiccam,ut æſtatem,ita & bilem flauam eſſe dicit : & atram,quemadmodum Autumnum,frigidam & ſiccã. Quod igitur quibus dixi temporibus ſinguli humores incrementum ſumunt, ante confirmauit.nunc cauſſam adducit,cur maior Hyeme ſit pituitæ copia : ob frequentiores,inquit,pluuias,& noctes longiores . quod perinde eſt ac ſi dicas:quod humidũ ſit frigidumq; hoc tempus.Humidum eſſe probatur,pluuiarum multitudine : frigidum,noctium prolixitate . Siquidem caloris,quo præditus eſt ambiens nos aer æſtate,auctor ſol eſt,qui tum aſcendit prope ſupra uerticem noſtrũ, & diem longiorem efficit . Idem item frigiditatem Hyeme inducit,quod obliquus & humilis pauco tem-

Pituita hyeme cur uigeat.

Hyēs cur frigida.

Sol caloris aeris cauſa.

pore

pore super terram feratur. Vult autē HIPPOCRATES cum ambiētis nos aeris statu una animalium corpora affici, siccari in siccis eius temperamentis, humectari in humidis. Hoc pacto etiam calfieri in calidis, refrigerari in frigidis. Quare si humida hyems & frigida est, merito in ea, frigida & humida, ualet pituita, nam ostendit & hoc ante. Huic assentit & aliorum ratio temporum. æstate, flaua bili dominante, quando sicca & calida facultate est. Vere, sanguine, humido & calido humore. Etenim Ver esse ait calidum & humidum. Autumno, atra bili, nempe quæ iuxta ac hoc tempus sicca est. Quæstio igitur non parua oritur de ueris temperamento, quo pacto calidum & humidum dicatur; quod, cum ea de re sermonem haberem, temperatum satius dici ostēdi. Atq; cōstat, eadem etiam ratione nō calidum & humidum debere dici sanguinem, sed temperatum. Ac magis quæras, quod huius libri interpretes præterierūt, de pituita: quæ habet frigidam substantiam & humidam, & hæc Hyeme generata. Qua uero causa inductus, nonminus inquirendum esse id dixi, iam tibi expediam. Dixit in Aphorismis ipse HIPPOCRATES. Vētres Hyeme & uere natura calidissimi, & somni longissimi. Per hæc tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor natiuus plurimus est: nutrimentum ergo largius requirit. indicio sunt ætates & athletæ. Iterum. Aestate & Autumno cibos difficillime ferunt, Hyeme facillime, secundum locum Ver tenet. Hæc si uera sunt, & pituitam humorem esse frigidum, non temperatum, ut est sanguis, agnoscimus; quomodo Hyeme augebitur? Conueniebat enim ex alimento commode cocto, sanguinem magis, quam pituitam generari. Qui igitur hæc dubitatio dissoluetur? Dicam, quod sentio. Sunt quidem

calidissimi

Cū aeris statu corpora animalia afficiuntur.

Cur pituita, cū frigida sit, & humida, hyeme uigeat.

calidißimi uentres per hyemẽ naturali calore, hoc est, temperatißimi. Corporis parteis ediuerso plus refrigerantur hyeme, ipseq; adeo uenter quibusdam, aut ex itinere, aut ob uestium inopiam, aut exercitiorum genus, aut eiusmodi quippiam. Omne igitur ambientis aeris frigus quã potest pœnitißime in corpus se insinuat. Quibusdam uero etiam ad uentris usq; regionem penetrat, uti est declaratũ. Itaq; ut percocti sint in uentriculo sumpti cibi, in hepate certe dum mutantur, nõ absolutũ assequuntur sangnificationis, ut sic dicã, cultum, sed aliqua in ea offensio existit. Quo minus uenæ totius corporis mutant illos refrigeratæ. Huc accedit ciborum multitudo, qui Hyeme sumuntur, quibus qualitates quoq; sunt pituitosiores. Multa enim edunt legumina hyeme, multo plus panis q̃ alias, siliginem, rhyemata, holera, satiuas rapas, & carnes multas: hæc plane pituitosa, ut agnos: illa, nisi probe elaborentur, quod genus aprorum carnes sunt, maxime porcorum. Præterea, bulbis, cochleis, caseo, & aliis eiusmodi multis tota hyeme uescuntur, quæ prompte in pituitam uertuntur. Atq; etiam recens uinum pleriq; bibũt, quod est natum ad generandam pituitam. Quibus fit, ut hyeme copiosior sit pituita.

Cibi pituitosi.

HAec igitur omnia habet perpetua corpus humanum, quæ à tempore degenerante, modò ultra modum augẽtnr, modò imminuũtur, unum quodq; pro parte & natura.

¶ Omnia, inquit, prædicta, hoc est, quatuor humores habet corpus humanum per omnem uitam, hoc illi significat perpetua. Hæc pro temporum mutationibus augentur, minuunturq;. A tempore degenerãte enim, idem

Perpetua. A tempore degenerãte

idem est illi, quod trãsmigrante, hoc est, quod demutatur, ac transit in aliud sibi cõtinens. Deinde, augeri minuiq; hæc dicit pro parte & natura: Quidam accipiunt pro parte, de corporis partibus esse dictum: quidam contrarium huius pro natura: ut hæc dicat. Semper corpus humanum quatuor cõmemoratos continet humores: copiosiores autẽ & pauciores pro anni tẽporibus & natura. quod oratione inuersa si proferas, sensum sis cõducibilẽ & uerũ assequuturus. Nã humorum copia pro temporibus, ubi naturaliter dispẽsatur annus, mutatur. atq; pro totius anni temporibus, etiam si minus dispensetur naturaliter, differentia in quantitate nascitur humorum. Quin & de anni temporibus parteis interpreteris licet. Pro parte & natura.

NAm ut annus omnis omniũ est, & calidorum, & frigidorũ, & siccorum, & humidorum particeps. neq; enim quicquam in hoc uel minima temporis parte consisteret, sinè reliquorum omniũ, quæ in hoc mundo sunt, consortio. Immo si unum etiã deficiat, omnia simul aboleãtur. quippe omnia & ab eadem sunt cõstituta necessitate, & à sese inuicẽ aluntur.

¶Calidũ, frigidum, humidũ, & siccũ: quod nõ per excellentiam appellatur, aut intelligitur: sed elementale dicit. quod in proposito sermone declarauit, omnẽ docens annũ omniũ esse participẽ. Neq; enim omnium, quæ præpollẽt, particeps est omnis annus, sed elemẽtaliũ: tota quidẽ hyems, humidi & frigidi: æstas, sicci & calidi: autũnus, frigidi & sicci. Quod dilucidius etiam ostẽdit: cũ dicat, ut cætera quoq; dissoluantur, fore, simul atq; uni istorũ cõtingat perijsse. Nã uno pereũte elemento, reuera dixeris corrumpi, quod ex ijs cõstat.

H Secus,

Secus,uno ex illis pereunte, quæ ex uincẽtis nomine appellantur: cum contrarium sit uerũ. Vbi perdatur aliquod ex ijs quæ præpollentis nomine appellantur, saluum est, quod ei aduersatur. Si enim æstas non sit, hyems est: si non hyems,æstas: Et si non sit Ver,autumnus: si nõ autũnus, uer. Sin autem calidum elemẽtũ semel sustollatur,cõcrescet humidũ, caloris inopia: tollitur omnino sol: nulla planta erit,neq; animal reliquũ. Si itẽ frigidum pereat elementum, uniuersa ignis erunt. Et si siccũ,aqua erunt omnia.itaq; interibunt omnia quæ in mundo sunt genita corpora. Propterea dixit corpora mundi elemẽtalia ex sese nutriri mutuo.Nã absolutũ elemẽtũ mẽte potius apprehenditur,q̃ subsistit.Quod uero prope cum illo idem est,ex eorum est,quæ subsistunt numero. Nã si absolute humidã & frigidam cogites aquam fieri, nõ manebit iam aqua: concrescet enim mox,& consistet,& fluere desinet. Ita terram si prorsus siccã & frigidam cogites, erit id adamãte corpus durius. Quæ si euadat eiusmodi,generationem desinent plantæ. hac desita,simul alimentũ corrũpetur animantiũ, atq; si hoc,nimirum & ipsa animantia. Per excellentiã ergo quando elementum intelligitur siccum & frigidum,tunc terra,quæ in mundo est,siccum esse & frigidum corpus dicitur: & aqua,humidum. Iam & ipse habet ignis partem aereæ substantiæ,non secus atq; fumosæ. ad hæc non obscure pro nutrimẽto humiditatẽ postulat: id quod lychnorũ flãmæ indicãt.Proinde ex sese mutuo habẽt nutrimẽtũ

Absolutũ elemẽtũ potius apprehẽditur mẽte,quã subsistit.

„ mundi elementa.Vnde est apud Platonẽ idẽ ut sibiipsi
„ alimẽtũ & marcorẽ suppeditet: & cũcta in seipso & a
„ seipso tũ patiatur,tũ agat,ex arte comparatum est.

SImili modo homo, si quod illorũ eũ deficeret,quæ cognata sunt,uiuere non posset.

Cognata

¶Cognata appellat sanguinẽ,pituitã,& biles. quandoquidem fœtus primam figurã ex matris est sanguine omnium participe consequutus, ac incrementũ, nutrimentũq;. Si igitur prorsus ex corpore nostro aboleatur aut humidũ,aut siccũ,uel calidũ,uel frigidum,statim corrumpentur humores, qui humidi,sicci,calidi, & frigidi sunt: non illi quidem meri & immixti,sed quia ea in qualitate aliјs præstant, ita nominati. Nam pituitam humidam dicimus, & frigidam esse, non quasi contrariorum expertem, sed quod in ea humidum & frigidũ dominentur. Quæ si plane frigida tãtum foret,ut crystallus sit coacta. Sic si semel humida sit, neq; crassa, neq; foret lenta. Idem de bilibus statuas. Nam est flaua,sicca: atra, sicca & terrena esse dicitur, cui tamen aliqua est humiditatis pars. alioqui humor non sit, cæterum durum corpus, ut adamas. Eadem ratione frigida esse dicitur: quod plus habeat frigiditatis, quam caliditatis. quæ si undequaq; sit frigida,instar crystalli cõgeletur. Sed horum quid refert meminisse? quãdo sanguis ille qui temperatissimus uidetur, talis dicatur: quod in ipso nullum suo contrario magnopere præcellit, nec calidum frigido, nec calido frigidum, nec humidum sicco, uel siccum humido. Posteaquã uero & ipse indiget sanguis quatuor qualitatibus, humiditate,siccitate, caliditate, & frigiditate, nemini dubium est, quin cum reliquis humoribus postulet commisceri. Quo fit, ut temperatissimus sanguis pituitæ sit, & flauæ, atræq; bilis particeps. Est alia præterea naturalis consyderatio non contemnenda. Hæc ad proborum generationem morum imprimis referre quatuor humores docet. Sed hic rursus demonstrasse prius conuenerit,animi mores corporis subsequi temperamenta: quam rem alibi tractauimus. Atq; hoc constituto, animi dexteritas & prudentia a bilioso

Humores in corpore p excellẽtiã calidi,frigidi,sicci,humidi dicuntur.

Cõsyderatio alia naturalis de hũoribus.

humore ꝓficiſcetur : integritatis & grauitatis erit au- ctor, humor melãcholicus : ſanguis, ſimplicitatis & ſtu piditatis. Pituitæ natura ad morũ cultũ nihil facit. quare in ciborũ prima mutatione generari uidetur.

Singulis anni tẽporibus ſinguli in corpore dominãtur humores.

IN anno autem, modò hyems maximè, modò Ver, modò Aeſtas, modò Autumnus ualet. Haud aliter in homine, interim pituita dominatur, interim ſanguis, interim bilis, primùm flaua, deinde atra.

¶ Aperta eſt HIPPOCRATIS oratio oſtendere parantis, ut in anno nunc humidum uiget & frigidũ, uacaturq; hoc anni tempus, hyems. Nũc humidũ & calidũ, tempore ueris. aliquãdo ſiccũ & calidum, quæ uocatur æſtas. poſtremo horum ſiccũ & humidum, in autumno. Ita in homine præſtat, hyeme pituita, humor humidus & frigidus. Sanguis Vere, calidus humor & humidus. Flaua bilis æſtate, quæ facultate eſt calida & ſicca. Atra autũno, ſicca & frigida, ut ipſe etiã autũnus.

Argumẽtũ ſuperioris orationis.

CVius eſt argumentum euidentiſsimum : ſi quater per annum idem eidem homini medicamẽtum exhibere uelis, hyeme tibi euomẽtur pituoſiſsima, uere humidiſsima, æſtate biliosiſsima, autumno nigerrima.

¶ Clariſsimũ dicit argumentum eſſe prioris orationis ubi ſingulis anni temporibus ſingulos dominari humores dixerat : quod eidem exhibito medicamento uomitum mouente, uicibus quatuor, ſit hyeme uomitus pituitoſior, uere humidior, bilioſior æſtate, & nigrior autumno.

Cum

CVm igitur hæc ita se habeāt, par est morbos, qui hyeme augeantur, æstate finiri. & contrà, qui æstate creuerint, hyeme terminari: nisi intra dierū circuitum discedant. Circuitum autem dierū aliâs exponam. Vernorum morborū in Autumnum expectanda liberatio est. autumnalibus autē Veris tēpore defungamur, necesse est. Hæc uerò quisquis stata tēpora superauerit, hunc fore annuum scire oportet.

¶ Huius orationis bifariam scribitur initium: ab his ὀφείλει, ab illis ἔοικε γοῦν τουτέων οὕτως ἐχόντων: quod est idē ac προσήκει, quod nos par est uertimus. Vsurpant enim hoc uocabulū interim pro par est. reliqua huius orationis obscura nō sunt. Vult enim morbos diuturnos, & qui non per circuitus fiūt dierū, sed mēsium, eo solui tempore, quod illi, quo hominē inuaserunt, cōtrariū est, hoc est, septimo mēse. quibus nō solutis, annuum tū dicit morbū effici. Hæc dictio annuus, eum potest denotare, qui post annū primæ suæ generationis discedit. potest & eum, qui septenū annorū ambitū amplectitur, ut illi, qui septenū mēsium. Siquidem in Aphorismis in hūc modum scribit. Plurimæ passiones pueris iudicantur, hæ decimo quarto quoq; die, ille septimo quoq; mense, aliæ septimo quoq; anno, nonnullæ ad pubem usq; pertinent.

ἔοικε. Annuus morbus.

SIC Medicum ad morbos accedere oportet, tanquàm singulis horum dominantibus in corpore pro anni tēpore, quod potissimum dispensatur naturaliter,

¶ Totius præcedentis de anni temporibus sermonis

usum hoc loco docuit: ostendens commẽtationem de ætatibus, regionibus, exercitijs, & quotidiano uiuẽdi instituto eandem præstare commoditatẽ. Horum habita omniũ ratione, medico consyderandum est, qui præpollẽs humor aut qualitate, aut sua facultate, qua in corporis parte abundet. Nam sic quidem Medicũ se optimum præstiterit, quemadmodum in medendi commentationibus traditur. ¶ Hoc libro cum esset HIPPOCRATI corporis nostri naturam inuenire propositum, hac methodo ad inuentionem usus est. Primum simplex an multiplex esset, quæsiuit. quod ubi esse multiplex comperisset, simplicium deinde in eo substãtiam, ecquæ sit inspexit, hoc est, quam habeat aut ad patiendum ab aliquo, aut agendum, facultatem. Qua de causa temporum & ætatum fecit mentionem: consyderans quomodo inuentis elementis cum illis conueniat. Inuenit præterea soluendorum morborũ prædictiones & curationes ad eosdem esse reducendas scopos. Qui dum elementa corpus nostrum constituentia inuestigat, interim quoq;, quæ reuera sunt mũdi elementa, explicauit. Nam subinde, abutentibus hoc uocabulo nobis, simplices in cuiuslibet rei constitutione partes, primæq;, illius rei elementa dicuntur. Sic musica elementa, rythmica, geometrica, arithmetica, orationis, uocis, & demonstrationis appellarunt. Ita etiam Plato centum ait plaustri esse dicta elementa ab Hesiodo: qui scripsit.

Methodus Hippocratis in natura hominis inueniẽda. *Elemẽta p abusum.*

Hesiodus. ἐν ἔργοις καὶ ἡμέραις.

Plaustri lignaq; centum.

Hoc modo quæ appellantur singulis in rebus elementa, non plane sunt simplicia neq; prima. At uero illa omnium rerum communia, & simplicia & reuera sunt prima, propriæq; nominãtur elementa. quæ a qualitatibus HIPPOCRATES calidum, frigidum, humidũ, & siccũ denominat: nõ quæ in medio sint extremorum, sed

ſed ipſa illa extrema: ignẽ ſcilicet,terrã,aquã, & aerem.Itaq; Plato eũ uult,qui de animæ natura cõmentatur,hanc methodum ſubſequi.Neq; enim ſatis ſingulas poſſe res citra uniuerſi naturam cognoſci. Sed ipſa tibi uerba Platonis adſcribo: quæ ſic habent. Quid? ,,
tu animæ (inquit) naturam probe abſq; uniuerſi natu- ,,
ra aſſequi te poſſe exiſtimas? Quin (ſiquid HIPPO- ,,
CRATI credimus Aſclepiadæ)ne de corpore quidẽ ,,
citra hanc rationẽ. Recte ille quidem Amice: faciun- ,,
dum tamen eſt,ut ad HIPPOCRATEM expendamus ,,
diſputationem, conſyderemuſq;, num conſentiat illi. ,,
Recte. Quid igitur dicit HIPPOCRATES,& ueri- ,,
tas? num ſic? Operæprecium eſt rei cuiuſlibet natu- ,,
ram conſyderare: Primum, ſimplex ne ſit, an multi- ,,
formis, cuius nobis comparare ſcientiam uolumus,& ,,
eam facultatẽ,ut alijs illam tradere poſsimus. Deinde, ,,
ſimplex ſi ſit,animaduertenda illius facultas eſt,ecquã ,,
ad actionem habeat,aut ad paſsionem,comparatam.At ,,
multas ſi formas habeat, his enumeratis,quod in una, ,,
hoc in unaquaq; uidendum: ad quid ſcilicet faciũdum ,,
ſit,aut ad patiẽdũ ab aliquo nata. Atqui hæc cũ ſcripſe- ,,
rit Plato in hũc modũ,mõſtret aliqs nobis,quo præter hũc de natura humana libro liceat hãc methodũ inuenire,q; ſi nequeat,nullum quærat Platone teſtẽ digniorẽ fide,qui legitimũ hũc eſſe HIPPOCRATIS librũ cõfirmabit.Et ut mittã alia,ꝓxime diſcipulorũ eius memoriæ ſucceſsit Plato.quorum ſi cuius hic liber eſſet, ſcriptoris ei nomẽ fuiſſet præſcriptũ. Nam ante ætatẽ Regũ Alexãdriæ & Pergami,inter quos erat ſumma cõtẽtio circa cõparãdos ueteres libros,nullus unq̃ liber falſam præſcriptionẽ habuerat.Verũ ut primũ accepe rũt præmiũ,q antiqui cuiuſpiã auctoris libros ijs offerrẽt,tũ demũ multa falſa inſcriptione inſigniẽtes attule rũt.Sed hi floruerũt Reges poſt Alexãdri obitũ.Plato ante,

Hũc de humana natura librum Hippocratis eſſe,ꝓbatur auctoritate Platonis.

ante, q̃ Alexãder rerum potiretur, illa ſcripſerat, nulla dum adulterata inſcriptione, ſed quolibet libro ſuũ ſcriptorem titulo præ ſe ferente. Plato igitur ad HIPPOCRATICAE Methodi præſcriptionem, de animæ ſe natura cõtẽplari profitet: ita ut ille de corporis natura. Neq; hoc alio modo fieri cõfirmat poſſe ante, q̃ uniuerſi cognoſcatur. At enim ſunt, qui in tãto errore uerſent, ut tam præclarã methodũ alterius eſſe poſsint in animũ inducere: quod nõ pœnituit primũ huius tãtæ, tãq; ſuſpiciẽdæ rei inuẽtorẽ, eius ſcribere demonſtrationẽ. Quis enim eũ, qui omniũ generationi internetioniq; obnoxiorũ corporũ elemẽta inuenit, ſingulare nõ dicet, ſtupendũq; factum deſignaſſe? Quis autem multo eſſe ſingularius negabit, demonſtrationibus hæc cõfirmaſſe? Eaq; adeo qui nõ uerſibus totis treceñtis, ſed longe potuerit paucioribus complecti. Nam in omnibus medicamẽtorũ & præſagiorũ inuẽtis, HIPPOCRATEM elemẽtis uti, ut demonſtratis; nuſq̃ autẽ eorũ demonſtrationẽ docuiſſe, cui probat? Hæc igitur tanq̃ cumulũ adieci, hũc oſtẽdẽs eſſe HIPPOCRATIS germanũ librũ. qua de re tamẽ, cuius nihil intereſt, minus eſt cõtendendum: de ueritate autẽ eorum, qui in ipſo libro traduntur, uehemẽtius laborandum. Hoc in libro de elemẽtis ſecundum HIPPOCRATEM præſtiti, quem cum probari omnibus doctis uiderẽt æmuli, frigidã cauſsam attulerũt, nõ eſſe HIPPOCRATIS librũ iactantes. Cæterũ hæc illum ſtatuiſſe, & hæc ſingulis libris cõponẽdis ſemper ſpectaſſe, in cõfeſſo eſt. Poſtquam uero ijs impudentur contradicunt inuidi, quæ omneis ſine controuerſia comprobant, ideo opus aliud conſcripſi, hac inſcriptione. Q. in alijs operibus idem ſentire HIPPOCRATES, ac in libro de humana natura uidetur.

FINIS.